



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Pars I. Tractans Prolegomena, Materiam de Distinctione, & Ente Rationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

PARS I.  
TRACTANS PROLEGOMENA,  
MATERIAM DE DISTINCTIONE ET  
ENTE RATIONIS.

PROLOGUS.



**A**bsolutâ parte Introductoriâ ad universam Philosophiam aggredior ad corpus primamq; ejus partem, Logicam scilicet, quæ incipientibus spinosa videtur & dura, ut propterea multi abeant retrò, occinentes sibi quoq; ; durus est hic sermo quis potest eum audire? quia tamen nihil tam difficile quòd non dulcis solertia vincat, nec spinæ lædant nisi incautè tangentes, neq; saxa dura offendant nisi incurios, apum instar relictis aculeis de spinis rosas carpendas, oleumq; de saxo durissimo legendum puto, & sic materiam proponam totam, in prima verò parte hæc agam & tractabo non modo Prolegomena, verùm etiam de distinctione & ente rationis, quamvis incomperito sit materias hæc considerare, magis esse Metaphysici, quam Logici, ut proinde putet Suarez d. 54. errorem esse de ente rationis tractare in Logica, existimo tamen perinde esse ubicunq; tractetur locorum, dummodò non ignoretur, unde utiliùs censeo hic eas explicare, quoniam per totam Logicam continua de ente rationis est mentio, distinctio adhuc magis hunc locum sibi vendicat, cum ea differendi modi pars sit, sequitur etenim divisionem, quam qui discretè adhibet benè docet, & benè defendit, quâ ignoratâ dubium non est quemq; gravius audire, quare cum universale sit, distinctionem claritatem parere, tenebras confusionem. Igitur sit

DISPUTATIO I.  
DE NATURA LOGICÆ.

QUÆSTIO I.

*Quid & quotuplex sit Logica?*

*Datur Logica.*

Logicam Dari res omninò est certa & manifesta, ita qui contra diceret sapientissimos, imò & sanctissimos Doctores qui eam secuti, aut commentariis illustraverè, insipientiæ & amentia argueret, cujus inventores qui fuerint fusè tradunt plures Scriptores, & inter alios Conimb. & ut loquar cum D. August. lib. Civit. cap. 25. *Neq; enim ipsi (id est antiquiores Philosophi) instituerunt ut ita esset, (scilicet Philosophia tripartita in Rationalem, na-*

*turalem, & moralem) sed ita esse potius invenerunt; Ad quæstionem ergò veniendo congruentissimum duxi ante alia examinare ejus naturam, quidq; per Logicam intelligatur explicare, nam de rebus agendo nominum rationem indagare nequaquam supervacaneum esse dixit Plato in Cratylo, quem Aristoteles quoq; sequitur I. post. I. dum dicit, Omni disputationis initio Etymologiam & vocis interpretationem præponendam esse, Quare nota veteres Philosophos diversimodè sumpsisse Logicam & Dialecticam nam Dialecticam dicebant facultatè disceptandi & differendi ex probabilibus; quibus favet quoq;*

*Varia Logica acceptio-*

quoq; Aristoteles I. top. 1. dicens Dialecticæ proprium esse de qualibet re probabiliter dis-  
serere, & consonat Etymologia nominis, deriva-  
tur namq; à verbo Græco διαλέγεται, unde  
eam Græci dicunt, διαλογος, I. Διαλέξις, quod  
Cicero lib. 3. de nat. Deorum interpreta-  
tur probabiliter disputare; Logicam verò ap-  
pellabant artem conficiendi demonstrationem,  
quod quam facile asseruerunt illi, tam difficile  
negari potest ab aliis, nam ex Etymologia no-  
minis quod est à verbo Græco λόγος latine ser-  
mo, seu ratio, unde ipsi vim sumebant non plus  
artem conficiendi demonstrationem, quam fa-  
cultatem disputandi ex probabilibus deducere  
possunt, nisi forè Dialecticam voluissent esse  
partem Logicæ, sit ut sit, consuetudo moder-  
norum jam obtinuit ut pro eodem sumantur,  
nam ut utar verbis D. Augustini lib. 3. contra  
Academicos cap. 13. Docuit me Logica cum  
dere constaret propter quam verba dicuntur, de  
verbis non debere contendere. Itaq; ad primam  
partem quæstionis.

**DICO I.** Benè describitur Logica: Quòd

fit ea Philosophiæ pars in qua docetur quonam modo  
verum à falso de terminandum sit. Ita D. Augusti-  
nus in terminis lib. 2. Doct. Christ. cap. 34.  
quod in eadem penè verbis repetit lib. 2. Civitat.  
cap. 7. dum dicit, Logicam esse eam Philosophiæ  
partem in qua investigatur ratiocinando, quid in ipsis  
ratiocinantis regulis certa conexione trahatur, aut  
quid non sit consequens, vel etiam repugnet. Con-  
cordat D. Bernardus in tractat. de vita solita.  
cap. 15. dicens Ratiocinatio (sic enim vocatur  
etiam Logica) est rationis inquisitio, scilicet quo-  
modo verum à falso determinandum sit. Nec  
multum discrepat ab illa quam Recentiores  
communiter tradunt, scilicet quòd sit facultas re-  
gulas intellectus in operando directivas & ab errore  
conservativas considerans, nam loco quòd hi Au-  
thores dicunt esse facultatem, exprimitur cla-  
rius per hoc quod dicatur eam esse Philosophiæ  
partem, & ubi illi ponunt considerans, nostra  
verius habet, docet, imò in illorum Autho-  
rum videtur una particula superflua, si enim  
regulas tradit in operando directivas, jam eo  
ipso ab errore conservativas proponit, & si pro-  
ponit ab errore conservativas, eo ipso in ope-  
rando directivas tradere consuetur, ita ut una aut  
altera pars superflua videatur. Patet deniq;  
conclusio ex regulis bonæ definitionis, nam  
constat genere & differentia, genus namq; est  
ea Philosophiæ pars, cætera verò locum differen-  
tiæ habent, ergo. Notandum tamen hic non esse  
definitam nisi solam Logicam docentem, quam  
consequentèr applicare poteris Logicæ utenti,  
sed ad secundam partem progrediendo.

**DICO II.** Logica Primò dividitur in naturalem &

artificialem ut tradit Philosophus Elench. c. 8.  
& in finem D. August. lib. 2. Civit. cap. 7. Na-  
turalem definit idem Doctor Sanctus libro 83.  
q. 31. Innatam vim naturæ per quam homo per-  
spicit ea quæ sunt, sive est ipse intellectus in quan-  
tum habet virtutem ritè apprehendendi, judi-  
candi & discurrendi. Artificialis est ipsa quam  
paulò ante definivi, nec enim in abstracto defi-  
niri poterant, cum naturalis sit substantia, al-  
tera sit accidens, à quibus non abstrahitur uni-

voce præter ens quod non est Logica. Artifi-  
cialis iterum subdividitur in docentem & uten-  
tem, docens est ipsa cognitio modorum sciendi,  
seu illarum Regularum secundum quas intel-  
lectus in quacunq; materia discurrere potest &  
verum à falso determinare; & hæc cognitio vo-  
catur Logica docens actualis, seu actus Logicæ  
docentis, facilitas verò quam talis cognitio sæpè  
repetita gignit & relinquit, appellatur docens  
habitualis, seu habitus causatus ab actu Logicæ  
docentis. Utens est exercitium per quod  
intellectus utendo regulis à docente traditis  
conficit operationes conformiter illis, quæ con-  
fectio vocatur actus Logicæ utentis, facilitas  
autem ex frequentatis actibus generata, dicitur  
Logica utens habitualis. Sed controversatur  
inter Authores, num Logica secundum omnes  
suas partes benè dividatur in docentem & uten-  
tem, partes verò Logicæ sunt, topica, sophisti-  
ca & demonstrativa. aliqui enim putant, secun-  
dum partem topicam tantummodò benè dividi  
Logicam in docentem & utentem, alii verò se-  
cundum omnes partes asserunt bonam esse Lo-  
gicæ partitionem in docentem & utentem, cum  
quibus etiam

**DICO 2.** Divisio Logicæ docentis & utentis

secundum omnes suas partes est bona. Ita Maffrius,  
Ruvius, Averfa, Didacus à Jesu, &c. contra  
Complut. & Conimb. Probatur conclusio primò,  
Quia in omni parte Logicæ, seu tam in par-  
te topica, quam demonstrativa & Sophistica,  
non modò traduntur regulæ quomodo actus  
elici debeant, sed etiam actualiter fiunt & eli-  
ciuntur, ergò. Prob. 2. Logica secundum Ad-  
versarios benè dividitur in docentem & uten-  
tem quoad partem topicam, quia confectio &  
cognitio illius Syllogismi ad ipsam pertinet in  
quacunq; materia fiat, sed confectio & cog-  
nitio demonstrationis ad Logicam pertinet in  
quacunq; materia fiat, ergò: ma. est certa; pro-  
batur minor eadem ratione quæ confectio Syl-  
logismi demonstrativi non pertineret ad Lo-  
gicam, sed ad illam scientiam in cuius materia  
fieret, illa etiam ratione confectio Syllogismi  
topici non pertineret ad Logicam, sed ad illam  
scientiam in cuius materia exerceretur, verbi  
gratià, ad Physicam, si in materia Physica fieret,  
sed hoc non admittunt Adversarii, ergò neq;  
primum. Confirmatur, quia licet in illo casu  
materia esset Physica, vel Metaphysica, & sic  
ratione materiæ ad illas scientias pertinere de-  
beret, nihilominus quoad formam & modum  
adhuc ad Logicam attinet & spectat. sed nova  
hic exoritur difficultas, scilicet quomodò hi duo  
habitus Logicæ docentis & utentis inter se di-  
stinguantur, quam quæstionem ut resolvam ne  
in hac sum longior, expedit nova quæstione.  
Sit igitur

**QUÆSTIO II.**

Quomodo Logica docens & utens inter  
se distinguantur?

**Difficultas hujus quæstionis potissi-**

imum versatur circa habitus, nam actus Logicæ  
docentis & utentis distingui realiter quasi  
omnium est sententia, nam convenit ipsis po-  
tissimum distinctionis realis signum, scilicet,  
quod

**IV.**

Divisio Lo-  
gica bona est  
secundum  
omnes par-  
tes.

**I.**

Actus Lo-  
gica docentis  
& utentis  
realiter di-  
stinguuntur,  
quod

III.

quòd sine se invicem esse possint saltem frequentissimè, dico frequentissimè, quia non nego posse dari aliquem actum, qui simul esset docens & utens, ut dum dico, definitio est oratio quæ constat genere & differentia, simul utor & etiam trado regulam quomodo definitio fit conficienda, De habitibus itaq; duplex est sententia, prima docet Logicam docentem & utentem esse eundem realiter habitum, & solum diversum ex diversa consideratione, diversisq; muneribus, in quantum enim tradit regulas dividendi, definiendi, discurrendi, dicit eum esse Logicam docentem, in quantum autem iisdem regulis in aliis scientiis utitur dicit eam Logicam esse utentem, hæc sententia est communis omnium Thomistarum, Complutensium dis. 1. Log. q. 4. §. 2. Soti questione 2. proæm. Sanchez disp. 1. Log. Averlæ q. 1. Log. sect. 2. qui tamen concedit actus Logicæ docentis & utentis esse realiter & essentialiter distinctos, Ex Scotist. hanc sententiam etiam amplectuntur Faber Theorem 1. cap. 1. Pontius disp. 2. Log. q. 6. quibus etiam ipse Scotus favere videtur q. 1. prædicab. ubi non nisi ex diversa consideratione Logicam docentem & utentem discernere videtur. Secunda sententia docet Logicam docentem & utentem realiter distingui, hæc est Maltrii q. 1. proæm. art. 1. Mauricii q. 1. universa. §. 6. Tartareti q. 1. proæm. §. sciendum, quam à vestigiis prioris declinando pariter amplectar. Pro cujus tamen intelligentia notandum, Logicam utentem dupliciter sumi posse, uno modo pro habitu scientifico Logico per demonstrationem acquisito, quo utimur in singulis scientiis dividendo, definiendo, & argumentando, & hoc modo Logica utens si sumatur, non erit distinctus habitus à Logica docente, sed potius erit ipsa Logica docens in usu posita. Secundo modo sumitur pro habitu acquisito ex frequentatis actibus definiendi, dividendi, & argumentandi, nam ut docet Scotus in 3. d. 33. ex omni actu voluntatis & intellectu potest generari habitus, habitus autem nihil aliud est quam promptitudo & facilitas quædam quam acquirit homo per frequens exercitium alicujus rei, sic verbi gratiâ qui frequentè scribit, acquirit facilitatem citò scribendi, quæ facilitas vocatur habitus scribendi, & hoc altero modo Logica utens si sumatur, erit distinctus habitus ab habitu Logicæ docentis, quòd etiam resolutivè concludo, & ad questionem.

II.  
Logica docens & utens habitus realiter distinguuntur.

Dico *Logica docens & utens inter se distinguuntur realiter.* Hæc est Authorum secundæ sententiæ contra primam. Et probatur 1. Scotus quæst. 4. Prologi ait, Quòd ubi cognitio aliarum non est propter specularem simpliciter, sed etiam aliquomodo propter operari, tunc respectu illorum duplex est necessarius habitus in nostro intellectu, unus respectu universalium, alter verò particularium ex particularibus actibus genitum, Ex quibus verbis sic subsumo, sed Logica non est propter seipsam simpliciter, sed etiam ad dirigendas operationes intellectus, ergò duplex respectu ejus ponendus erit habitus, unus universalium quo generales regulæ, definiendi, dividendi & discurrendi traduntur alter verò particularis, qui ex frequentatis acti-

bus definiendi, dividendi, &c. acquiretur. Hinc explicare poteris Scotum supra cit. pro contraria opinione, vel Doctorem ibi locutum fuisse de Logica utente in prima acceptione, & sic verum est non distingui à Logica docente, nisi ex diversis muneribus. Vel eum per Logicam docentem ibi intelligere habitum procedentem ex necessariis, per utentem verò habitum procedentem ex probabilibus, qualis est pars topica, & sic autoritas esset in oppositum, probaret enim distinctionem & non indentatem.

III.  
**Probatur Conclusio 2.** Nulla est facultas organica quæ non divideretur in docentem & utentem, sed in his omnibus docens & utens distinguuntur realiter, ergò similiter de Logica quæ est disciplina organica dicendum erit, ma. patet, nam facultas scriptoria dividitur in docentem & utentem, Medicina in docentem quam appellant Theoricam, & utentem quam practicam dicunt, & sic de aliis, quas patet etiam distingui realiter, cum una sine alia esse possit, nam scriptura docens est quæ tradit regulas bene scribendi, utens verò quæ utitur regulis, & potest aliquis dare regulas bene scribendi & tamen illis regulis nunquam uti ergò.

IV.  
**Ruvius** Hujus probationis paritatem negans dat disparitatem, quia cum artes quæ per externa membra exercentur duplicem sentiant difficultatem unam in intellectu aliam in membris externis, ideò duplicem inquit Ruvius requirunt habitum, unum in intellectu, alium in membris externis, Logica verò licet sit facultas organica, at tamen eadem potentia est quæ cognoscit regulas & quæ illis utitur, adeoq; non nisi uno habitu indiget scilicet in intellectu.

V.  
**Sed** hæc Ruvii solutio nulla est, nam ideò ille admittit in arte scriptoria habitum diversum in membris externis ab habitu docente intellectu, ex eò quòd in membris externis reperitur tam bene difficultas, quam in intellectu, ergò esto Logica consistat in solo intellectu, quia tamen intellectus habet duplicem difficultatem videlicet addiscendi præcepta Logicæ, & explicandi eadem, ideò etiam debet esse in intellectu duplex habitus, unus ad percipienda præcepta, alter ad usum eorundem facilitans.

VI.  
*Actus omnes sunt generativi alicujus habitus.*  
**Probatur Conclusio 3.** Actus Logicæ utentis multiplicati generant aliquem habitum, ut videtur clarum esse, nam si hi non generarent habitum eadem ratione dici posset quòd nec Actus Logicæ docentis, nec universaliter aliqui alii habitum gignerent, cum non sit potior ratio de uno ac de alio, & quæ ratione isti essent sola impedimenti ablatio, ea ratione & alii dici possent, sed isti actus non generant habitum Logicæ docentis, ergò alium à docente distinctum, major patet ex dictis, minor probatur, quia non sunt actus scientifici, ergò non generant habitum Logicæ docentis. Nec dicere valet habitum Logicæ docentis in quantum habet rationem entis, per actus illos augeri, quia cum ille habitus sit speculativus, & alter utentis scilicet practicæ, requirit per actus hos augeri, cum practicæ & speculativæ sunt differentie essentialiter habitum dividentes; si verò

si verò dicere velles actus illos ut dicit Joannes à S. Thoma non generare quidem habitum, sed aliquam facultatem per modum alicujus dispositionis & expeditionis in applicatione materiae, quæ non est novus habitus, sed aliquid imperfectum, in tali genere inferviens veluti dispositio, tunc excitabis quæstionem de nomine, an facultas ex actibus Logicæ utens genita sit habitus, vel dispositio dicenda? mihi sufficit quòd nova qualitas generetur quæ intellectum faciem reddet & promptum ad definiendum, discurrendum, quam, qualitatem ego appello habitum, appelles tu quomodo-cunq; velis. Confirmatur conclusio, tum quia videmus quod Tyrones perfectissimè quandoq; calleant regulas conficiendi definitionem divisionem, &c. & tamen ad confectioem sunt difficiles, quæ difficultas melius quam per habitum tolli nequit, ergò. Ex qua confirmatio- ne ruit tota ratio sententiæ contrariæ, videlicet, quòd non sint multiplicandi habitus sine necessitate, atq; à Logica docente non esse alium habitum distinctum asserunt ipsi, negat sententia nostra, quòd si melius argumentum non adhibent, ut non faciunt, viderint ipsi quantum valeat, ego vidi, sed oculos meos averti, & teneo nunc cum Aristotele cogitationes posteriores esse sapientiores, ut autem eorum ex professo refellantur, congruum judico eorum fundamenta plenius adducere, Itaq;

VII.  
In regulis  
utens ad  
hoc diffinitur.

**Arguitur in contra 1.** In cogno- scentibus regulas & præcepta Logicæ, habituq; Logicæ docentis habitu, nulla remanet diffi- cultas quo minus definire, dividere, & argu- mentari possint cum omni facilitate, ergò su- perfluit Logica utens habitualis quæ faciliteret ad definiendum & dividendum, &c. sed R. ne- gando ant. nam ultra hoc quod aliquis sciat re- gulas Logicæ docentis, & habeat habitum Lo- gicæ utensis habet adhuc difficultatem appli- cationis præceptorum Logicalium, quòd ipsa docuit experientia & in hodiernum usq; docet diem, nam postquam aliquis novellus scit præ- cepta & regulas Logicales, dum aliquem for- mat Syllogismum secundum ipsas regulas per- spectè consideratas & cognitatas, format adhuc illum cum difficultate, si tamen perseveret in fabricandis & formandis Syllogismis, tantam argumentandi facilitatem percipiet ut sæpe formaturus in regulis Syllogismos perfectis- simos secundum modos & figuras, nihil de mo- dis & figuris cogitando, quod in me ipso ex- pertus sum & experior, experti fuerunt & alii, & experientur posteri quòd frequenter argu- mentabuntur in optima forma non recorda- turi regularum, modorum, vel figurarum, ergò signum est quod ultra habitum & regulas Lo- gicæ docentis requiratur alius qui sit Logica utens. Quæ responsio magis confirmatur ex his, qui Logicæ nunquam studuerunt, ita ut omnes proflus regulas docentis ignorent, attamen propter frequens exercitium argumen- tandi in scholis, talem sibi facilitatem compara- runt, ut eos in forma & modo arguendi fre- quenter, si non superarunt, saltem æquarunt eos qui se totis viribus addixerant ad arguen- dum conformiter regulis docentis logicæ, ergò.

F. Amandi Hermann Logica.

**Instatur** Omnis illa facilitas quomodo- cumq; acquisita sit, est à Logicæ docentis ha- bitu, ergò nulla solutio. prob. ant. Quia ad Logicam docentem spectat non modo consi- derare regulas bonæ operationis secundum se, sed etiam judicare an benè sint applicatæ hic & nunc, in hac & illa materia, ergò quod aliqui facile argumententur non consideratis regulis in genere, adhuc provenit à Logica docente, quia tunc considerant & judicant hic & nunc benè formatum esse Syllogismum. R. negando ant. cum prob. consequentia nam præter ha- bitum judicandi an benè applicata sint præ- cepta hic & nunc, hac vel illa materia, adhuc alius debet dari habitus ad faciliter & promptè operandum, imò illi qui nullas didicerunt re- gulas, quomodo judicabunt an hic & nunc fer- ventur regulæ bonæ argumentationis? profe- ctio nesciant litteras quas non didicerunt.

Illam facilitatem  
non provenit  
à Logica do-  
cente.

**Urgetur** Habitus Logicæ utensis idem sonat quod habitus dirigens, ergò non est di- versus à docente, quia etiam hic dirigit ad faci- liter operandum, consequenter nulla solutio; R. negando ant. nam Logica utens non est quæ non dirigit, nec qua utimur per modum re- gulæ, sed est quæ faciliat ad operandum con- formiter ad regulas Logicæ docentis, nisi ali- quis nimis improprie loqui vellet, sed cum tali res non esset habenda.

**Arguitur 2.** Habitus Logicæ docen- tis non solum inclinatur ad definiendum & Syl- logisandum, sed etiam faciliat intellectum ad usum instrumentorum logicalium, facilior est enim intellectus ad faciendum Syllogismum postquam cognovit quid Syllogismus sit, & quomodo fieri debeat, quam ante, ergò est unus & idem habitus, qui quatenus tradit regulas di- citur docens, quatenus ad usum faciliat dicitur utens, ergò. R. dist. ant. faciliat distinctè & specificè, nego ante: faciliat in confuso & sub ratione generica faciliandi intellectum con- cedo ant. & nego conseq. Itaq; licet habitus Logicæ docentis aliquam facilitatem submi- nistrare posse videatur, illa tamen non est nisi generica habitus, non verò specifica hujus ha- bitus, quod inde claret, quia actus Logicæ do- centis sunt speculativi, Logicæ verò utensis operativi, quod operativum, vel practicum est absolute, vel vix aut paulò minus quam practi- cum, item actus Logicæ docentis generant scientiam, utensis non nisi artem, adeoq; quia diversi sunt omnino actus, diversos esse etiam habitus pariter est necesse, quia habitus non generantur ab actibus nisi sibi similibus, Quare habitus Logicæ docentis faciliat ad traden- das regulas logicales, Logica verò utens incli- nat ad promptè faciliatq; discurrendum, ad quos actus nihil prodest Logica, nisi idealiter & directivè, quatenus intellectus quò magis in- structus est Logica docente, minus exponitur errori in arguendo, sed quantumvis aliquis no- verit regulas Logicales, semper tamen patietur difficultatem in exercitio, usq; dum ex actibus frequentatis acquisierit habitum.

VIII.

Habitus Lo- gicæ docentis non faciliat specificè ad actus Logicæ utensis.

**Instatur** Ut quis benè arguat in Physica verbi gratiâ, vel alia scientia, nulla re indiget, quam

H

quam

quàm dirigente actu Sylligifandi, & Physicâ ut eliciente actum, ergo superfluit alter habitus, quia ad dirigendum sufficit Logica docens, ad eliciendum physica; R. dist. ant. nullo alio habitu indiget quàm dirigente, &c. ut bene arguat concedo ant: nullo alio indiget ut faciliter arguat, nego ant. Logica enim docens sufficiens est ut bene discurremus, sed non est sufficiens ut faciliter & prompte discurremus, quòd tamen præstat Logica utens, non directivè & idealitèr, hoc enim est munus Logicæ docentis, sed elicitivè, non quoad materiam, nam hoc præstat verbi gratiâ Physica, sed quoad formam Sylligificam & sic in tali casu tres habitus eidem actui correspondent, nam habitus Logicæ docentis concurrunt regulativè, utentis faciliter elicitivè quantum ad formam, habitus Physicæ elicitivè quantum ad materiam, quòd si hoc alicui absurdum videtur, absurditatem demonstret.

QUÆSTIO III.

De objecto Scientia in communi.

Quia omnes scientiæ congruentissimè per objecta distinguuntur & discernuntur, hinc antequam ad Logicæ naturam declarandam proximius accedam, primò de objecto ejus agendum est, & quia teste Aristotele 1. post. 23. & Met. 1. unaquæq; scientia & ars suum proprium obtinet objectum, hinc quæstionem particularem instituo de scientiarum objecto in communi, generaliora namq; semper examinari convenit ante particularia; *Quare nota objectum à verbo obiectio derivari, unde objectum obex actuum dicitur quodammodo, ex eo quòd actibus opponatur veluti obex, & determinet actus ne vagè & in incertum ferantur, Et in hac acceptione consideratum objectum à pluribus distinguitur à subjecto, inter quos est Arriaga disp. 1. Sect. 1. n. 2. existimantes subjectum esse illud quod in conclusione scientifica subjicitur, seu de quo aliquid per scientiam cognoscitur, sic verbi gratiâ in hac scientifica conclusione, ergo homo est risibilis, homo erit subjectum, quia de eo cognoscitur risibilitas, objectum verò dicunt esse tam illud de quo, quàm id quod de illo cognoscitur, sive totam conclusionem scientificam, subjectum videlicet & prædicatum simul; Et quamvis verum sit subjectum aliquando accipi pro quolibet subjecto eujuscunq; propositionis, etiam non scientificæ, ut patet ex dictis in Summulis, & aliquando pro re subjacet alicui formæ substantiali, vel accidentali, sic corpus dicitur subjectum animæ rationalis, paries albedinis; aliquando etiam idem significat quòd subditum, sic omnia animantia dicuntur subjecta esse homini, sic sclavus & servus dicitur subjectus Domino suo, &c. verumtamèn in his acceptionibus non agimus hic de subjecto, sed prout subiectum dicitur esse id circa quòd aliqua scientia versatur, & sub tali ratione tam Doctor subtilis, quàm alii veteres cum multis Recentioribus, tum hic, tum in Prologo 1. Sent. subjecto & objecto pro eodem utuntur veluti Synonimis, quod paritèr faciã & his vocibus pro Synonimis utar, quidquid in contrarium dicat durus Durandus, Vasquez, Ocham, Capreolus, &c.*

I. Etymon objecti explicatur.

II. IV. al. modis...

Nota 2. Objectum in hac acceptione adhuc duplicitèr considerari posse, primò pro omni re quam scientia, vel aliqua ars quomodocunq; considerat, & in hoc sensu in arte medica verbi gratiâ non solum corpus humanum ut sanabile, sed etiam omnia medicamenta & instrumenta dicuntur subjectum artis circa quòd, & hæc objecti acceptio nimis laxa est, secundò sumitur pro re non quocunq; modo, sed per se & primò considerata in aliqua scientia, & hæc est ad propositum, in qua etiam acceptione objectum primò dividitur in complexum & incomplexum, Complexum est tota propositio objectiva, quæ per scientiam cognoscitur: Incomplexum verò est subjectum istius propositionis, verbi gratiâ istius cognitionis quæ cognosco hominem esse risibilem, objectum complexum est tota propositio ista, homo est risibilis, ly homo verò quod est subjectum in propositione, est objectum incomplexum, & circa objectum incomplexum frequentèr plures haberi possunt cognitiones scientificæ, ut patet de corpore humano, quòd potest esse subjectum Physicæ incomplexum in quantum scilicet consideratur sub naturalitate, & medicinæ in quantum consideratur sub ratione sanabilitatis, & sic de cæteris discurre

II. Diviso prima objecti.

Secundò Objectum dividitur in adæquatum, seu totale, est illud circa quòd tota scientia versatur, & in inadæquatum, seu partiale estq; illud circa quòd aliqua pars scientiæ tantum versatur, verbi gratiâ in Logica est objectum adæquatum Sylligismus ut sic, quia tota Logica versatur circa Sylligismum, in adæquatum verò, seu partiale verbi gratiâ in materia Topica est Sylligismus probabilis, quia in illa materia agitur tantum de Sylligismo Topico, & quamvis plures Neoterici contendat objectum adæquatum & attributionis diversâ esse objecta, nihilominus in communiori Scottistarum sententia pro eodem sumuntur, unde explicent illi diversitate objectorum dictorum quomodocunq; velint, ego pro Synonimis utar. Itaq;

III. dividitur objectum in totale & partiale.

Tertiò Dividitur objectum in materiale & formale, circa quam divisionem solemnissimè discrepant nobiscum Neoterici, nam nonnulli ex ipsis, inter quos est Arriaga disp. 1. Sect. 1. n. 2. qui dicunt illud esse objectum formale, cui quis propter se assentit, materiale verò cui assentio propter aliud, sic verbi gratia sanitas amata est objectum formale, quia illi assentior propter se, sectio verò venæ est objectum materiale, quia amo illam propter aliud scilicet propter sanitatem, sic præmissæ quando illis assentior propter se, sunt secundum ipsam objectum formale, conclusio verò quia non propter se, sed propter præmissas illi assentior, est objectum materiale, quam definitionem & explicationem dicit esse omnium pænè Authorum, quòd quàm verum sit nescio, quia scio plures esse Philosophos quàm Arriaga sit, qui si solus esset Philosophus omnium esse lubens fate- rer, unde contra eum decisione in contrarium est agendum &

VI. In materiale & formale.

Dico I. Non bene describitur objectum formale esse illud, cui propter se assentior, nec materiale illud, cui assentior propter aliud. Hæc est contra

V. Non bene describitur objectum formale per rationem assentis.

tra Hurtadum & nonnullos alios Recentio-  
nes. Prob. si illud est objectum formale cui  
propter se assentior non distinguetur ab  
attributionis, sed falsum est objectum formale  
non distingui ab objecto attributionis, ergo:  
prob. ma. Illud est objectum attributionis,  
quod propter se consideratur in scientia, ergo  
si formale est illud cui propter se assentior non  
distinguetur ab objecto attributionis; falsitas  
minoris patet etiam secundum Arriagam, nam  
ille dicit supra, scientiam specificari ab objecto  
adequato attributionis, ergo falsum est ob-  
jectum formale distingui ab objecto attribu-  
tionis, & per consequens falsum quod est, quod  
objectum formale sit illud cui assentior pro-  
pter se. Secunda pars conclusionis patet, nam  
sic coincideret objectum materiale cum objecto  
partiali quod etiam dici non potest, nam ab ob-  
jecto particulari specificatur etiam scientia par-  
ticularis adaequate, a materiali non nisi in-  
adequate. Adde quod objectum particulare  
debeat esse ex objecto formali & materiali  
compositum, sicut corpus ex materia & forma;  
quod autem non distingueretur ab objecto par-  
ticulari patet, nam illud est particulare quod  
consideratur propter aliud & reducitur ad prin-  
cipale, si ergo illud esset materiale quod pro-  
pter aliud, consideratur, coinciderent, nam  
quae cumq; habent eandem definitionem eadem  
sunt specie, Quod tamen ut patet ex dictis ne-  
quit dici. Sed

VI. Dices Disparitatem esse, Quia objectum  
formale de ratione sua non petit ut istud ad alia  
reducatur, de ratione autem objecti attributionis  
est, ut ad illud omnia alia reducatur. Contra  
saltem materiale coincidit cum particulari,  
Contra 2. Quia esto hoc non frequenter, tamen  
ut ipse Arriaga fatetur sic fit, ergo saltem dum  
sic fit non distinguentur. Hac ergo sententia Ar-  
riaga refutata statuo Scotisticam &

VI. DICO 2. Objectum materiale est res quae con-  
sideratur in scientia, objectum vero formale ratio est  
illa sub qua res consideratur a scientia, unde etiam mo-  
do considerandi objectum dicitur ab aliquibus, ab aliis  
vero scilicet. Haec Conclusio in re est Scoti. q. 3.  
Prologi §. ex huius & veterum Scotist. imo D. Tho-  
mae 22. q. 1. a. 1. ut fatentur Complutenfes  
disp. 1. proem. q. 2. Et melius patebit ex-  
plicando: Dicitur materiale objectum, propter  
indifferentiam quam habet, ut a diversis formis  
informetur: Formale autem dicitur esse ratio  
illa sub qua a scientia consideratur, & habet ut  
differentia contrahens rem consideratam, res  
clarius exemplo evadet, verbi gratia corpus  
est objectum materiale, ideo, quia est indiffe-  
rens ut illud consideret Medicus vel Physicus,  
si tamen adveniat aliqua ratio, vel modus qui  
illud corpus ad certam scientiam determinabit,  
ille modus & illa ratio vocabitur objectum for-  
male illius scientiae, sic verbi gratia quia ly na-  
turale, ut naturale, additum corpori constituit  
illud considerationis Physicae, ideo naturale dicitur  
objectum formale Physicae, Quia autem ly  
sanabile, ut sanabile, constituit corpus objectum  
totale artis medicinae, ideo ly sanabile dicitur  
objectum formale medicinae.

VIII. Quarto Dividitur objectum in primum  
& non primum: objectum primum est triplex, aliud  
F. Amanai Hermann Logica.

est objectum primum primitate praedicationis, &  
est objectum commune, quod praedicatur de  
omnibus objectis particularibus, de quibus  
in tali scientia agitur, sic in Metaphysica ens  
praedicatur de omnibus entibus in particulari,  
de quibus agit Metaphysicus: aliud est primum  
primitate perfectionis, & est illud, quod est no-  
bis perfectissimè notum in tali scientia, ut Deus  
in Metaphysica: Aliud denique est pri-  
mum primitate virtuali continentia, & est illud  
quod in se virtualiter continet omnes veritates  
illius notitiae cuius est objectum, virtualiter au-  
tem contineri in ratione primi objecti, de quo  
hic, est esse causam effectivam, vel saltem moti-  
vam omnium veritatum illius cognitionis &  
notitiae cuius est objectum.

Ultimò dividitur objectum in motivum  
& terminativum; motivum est, quod non solum  
terminat potentiam, sed etiam movet ad eli-  
ciendum actum: terminativum est, quod ita ter-  
minat actum, ut non moveat etiam potentiam,  
ut creatura respectus intellectus Divini.

IX.  
In motivum  
& termina-  
tivum.

Positis itaque hisce divisionibus obje-  
cti & omissis aliis, ad nostrum propositum ma-  
ximè deseruit objectum attributionis, de quo  
cum Dialecticis & Logicis communiter exami-  
nari & quari solet, quoniam conditiones requi-  
rantur & communis consensus, licet nonnulli  
sint qui plures requirant, tres requirit condi-  
tiones ad objectum attributionis, & prima est,  
quod de illo praesupponatur quid est? hanc condi-  
tionem requirit Aristoteles 1. Post. cap. 2.  
Quando dicit de subiecto in scientia praecognosci  
quid sit, unde ob hanc conditionem nulla scien-  
tia debet demonstrare suum objectum a priori,  
vel posteriori, quamvis quandoque possit, sed  
non petit, aliud enim est non petere, aliud non  
debere posse. Secunda conditio est ut omnia quae  
in illa scientia tractantur ad illud referantur,  
sive ut partes subiectivae, seu componentes, seu  
ut proprietates, & passiones, vel ut principia,  
ita ut omnia gratia ipsius in considerationem  
adducantur, ipsum vero non referatur ad aliud,  
tertia est, ut scientia per illud una cum ratione  
& modo quo ipsum tractat a reliquis distingua-  
tur. Doctor subtilis addit quartam q. 3. Prologi  
scilicet quod objectum attributionis debeat  
continere omnes veritates illius scientiae, quam  
conditionem ad calcem quaestionis examinabo,  
nunc sufficiunt tres priores quas

X.  
Conditiones  
ad objectum  
attributionis.

DICO 3. Ad hoc ut aliquid sit objectum attri-  
butionis tres priores conditiones requirunt & suffi-  
ciunt, nec ulla est necessaria amplius. Est commu-  
nis Scotist. & Thom. ex Philosopho pri. Post. 4.  
Prob. Quia nullae congruentibus assignantur,  
ergo haec requiruntur ita ut plures necessariae non  
sint, Prob. ant. Quia omnes aliae quae ab aliis ad  
rationem objecti requiruntur ad has tres reduci  
possunt, ergo nullae congruentibus assignantur,  
probatur ant. discurrendo per omnes condi-  
tiones quas alii veluti necessariae adhibent,  
nam quod aliqui dicunt objectum non debere  
esse aliquid impossibile, reducitur ad pri-  
mam nostram, nam illud quod est jam esse  
impossibile manifestum est, item quod de-  
beat esse unum, quod debeat posse defini-  
ri, quod non debeat esse aequivocum, ens per

XI.  
Tres condi-  
tiones suffi-  
ciunt.

H 2 acci-

accidens, non corruptibile, sed necessarium, &c. nam illud quod est, definiri potest, quod verò definitur æquivocum esse non debet, nec corruptibile, nec ens per accidens, sed unum per se, ergò istæ omnes conditiones alioquin requisitæ optimè ad primam reducuntur. Quòd verò alii dicunt quòd subiectum debeat adæquari scientiæ reducitur ad secundam, ex eò enim quòd alia omnia reducuntur ad ipsum, & ipsum non reducatur ad aliud, insinuat sufficienter non excedere scientiam, nec à scientia excedi. Item alii requirunt, quòd debeat esse universale, sed quamvis ad primam reduci possit, ad quam reducta est etiam definitio, cum singularia gratiâ sui non definiantur, sufficienter insinuat debere esse universale, attamen assero id universaliter verum non esse, nam de Deo optimo M. qui est singularissimus datur scientia, Quòd autem debeat habere, ut prætendunt nonnulli, partes subiectivas, id tantum verum est de objecto generico, non verò specifico, & insuper ad secundam conditionem reducitur. Sed in contra primam conditionem

XII.

**Arguitur** si ad objectum requiritur ut de illo præsupponatur quòd sit, sequeretur scientiam non esse de necessariis, sed scientia secundum Aristotelem & omnes est de necessariis, ergò mala est illa conditio: probatur sequela, nam si in Physica præsupponere debeo quòd corpus naturale sit, non præsuppono aliquid necessarium, nam corpus naturale jam potest esse jam non esse, jam generari jam corrumpi, & per consequens objectum Physicæ erit aliquid corruptibile & non necessarium, adeoq; & scientia erit contingens, quandoquidem secundum tertiam conditionem scientiæ ab objecto specificantur; R. Negando sequelam ma. & dist. mi. scientia secundum Aristotelem & alios est de necessariis, ita ut illa necessaria sint quantum ad existentiam nego mi. quoad essentiam, seu quoad habitudinem prædicati & subiecti ad se invicem, concedo mi. non requiritur enim quòd objectum actu existat, sed quòd possit existere & quòd ante opus intellectus subiectum habeat necessariam coexistentiam cum prædicato, ut dicitur communiter.

**Instatur.** Scientia realiter fertur ad objectum, sed relatio est inter extrema realia, ergò objectum scientiæ debet actu & realiter existere. R. dist. mi. concessâ ma. Relatio est inter extrema realia, prædicamentalis concedo, transcendentalis nego, seu ut verius dicam relatio mutua realis, concedo, relatio non mutua nego. Prædicamentalis autem realitio est, quæ realiter distinguitur à fundamento & termino. Sed

**Urgetur** secundum ipsam conditionem datam objectum præsupponi debet an sit? sed an sit, dicit relatum existentiam, ergò, prob. mi. præsupponit talem existentiam ratione cuius definiri possit, sed ratione solius existentie realis definiri potest aliquid ergò probatur mi. quia alioquin chymera & omnia non existentia possent definiri. R. dist. ant. præsupponit existentiam actualem essentie concedo mi. positionem extra suas causas nego mi. & concessâ ma. prob. dist. mi. sed ratione solius existentie realis aliquid definiri potest definitione rigo

rosa & strictè sumpta concedo mi. definitione in largiore acceptione nego mi. & consequentiam, vel si tibi displicet hæc solutio, recurre ad priorem dicendo, existentiam essentie sufficere & nihil aliud, ut autem tertia conditio melius intelligatur ideo

**Quæres I.** Per quodnam objectum specificentur scientiæ, & ab aliis distinguantur? Supponit quæsitum scientias specificari ab objecto, & per ordinem ad illud unam ab alia distingui, ita communiter tenetur, quomodo autem hoc fiat dicam dum acturus sum, quomodo actus ab objectis specificentur, interim quætionem resolvo & ad quæsitum, R. non specificari nec distingui scientias per solum objectum materiale tantum, nec per solum formale, sed per utrumq; simul, nam ut notat Didacus a Jesu in Logica quæstione 3. proem. Neque sanabilitas ut constituit medicinam, neque naturalitas ut Physicam, sed homo quatenus sanabilis est, & quatenus naturalis, est objectum adæquatam specificans scientiam & eam ab aliis distinguens.

XIII.  
Scientia distinguuntur tam per objectum formale quam materiale.

**Quæres 2.** An etiam ad rationem objecti attributionis requiratur quòd omnia virtualiter in se contineat quæ in illa scientia tractantur? R. Quòd Scotus dum dicit requiri quòd omnia virtualiter contineat, quæ in scientia tractantur, non loquitur de objecto generico, sed specifico, unde non tantum est intelligendus quasi diceret quòd objectum specificum debeat omnia virtualiter continere, quæ in scientia totali tractantur, cuius objectum illa species est, sed tantum quòd debeat continere virtualiter omnia scientie partialis, seu speciei specialissimæ cuius objectum est, Objectum autem genericum non continet omnia virtualiter, sed virtualiter tantum continet propriam definitionem & proprietates, alia autem quæ in scientia tractantur tantum potentialiter, ita expressè 6. Met. q. 1. quando autem 2. d. 3. q. 8. in fine ait (contrarium quasi teneret) unitas scientie assignatur penes objectum, quia illud est penes quod scientie distinguuntur non penes intellectum, & hoc modo distinguendo scientias illa est una, quæ est unius subiecti primi, quatenus objectum primum habet continere scientiam illam virtualiter per quæ ultima verba insinuare vult, quòd ad hoc quòd scientia sit una, objectum debeat continere virtualiter omnes veritates, quandocunq; autem ista dicit Scotus, explicandus est & intelligendus, quòd loquitur de objecto specifico, quòd continet virtualiter suam definitionem & passiones, vel si de generico loquitur, dicatur quòd extendat ly virtualiter continere, prout idem significat quòd continere, non tantum proprie virtualiter, sed etiam potentialiter.

XIV.  
Quomodo intelligendus sit Scotus dicens objectum debere continere omnia, quæ in scientia tractantur.

QUÆSTIO IV.

De Objecto Logica.

**Inquirendo** Objectum Logica non loquar de materiali tantum, nec formali tantum, sed de objecto ex utroq; materiali scilicet & formali conflato, circa quam materiam tanta est sententiarum diversitas. ut Mastr. q. proem. art. 3.

I.  
Multiplicitas sententiarum circa objectum Logica.

art. 3. afferat plures quam viginti recenserit sententias, ut quodammodo difficilius sit omnes referre quam novam aliquam invenire, Nam aliqui omnes res non modo in quantum eas considerat Metaphysicus, sed etiam quae quocumq; modo sub intellectu cadunt, objectum faciunt, alii voces, alii ens rationis, alii demonstrationem, alii Syllogismum, alii tres operationes mentis quatenus dirigibiles, alii instrumentum sciendi pro objecto Logico faciunt; Verumtamen ut quaestio melius resolvatur, Notandum Logicam dupliciter sumi posse, scilicet primo modo quo eam consideravit Aristoteles sub secundis intentionibus, alio modo prout nunc & de facto communiter accipitur, & sic vocatur Logica in se, de utraq; resolvenda est quaestio, imprimis tamen ut nostra sententia evadat clarior, refellam solemniores contrarias unde

**DICO I.** Voces non sunt objectum Logicae, nec *partiale quidem.* Hæc est Scoti Scotistarum & Recentionum communiter, & quamvis D. Augustinus contrarium sentire videtur, id tamen non dicit assertivè, sed ut terminis ejus utar *sed quasi materiam Dialecticæ* appellat, ut habet in Enchirid. cap. 4. Probatur Conclusio, si per impossibile voces nullæ essent, adhuc esset Logica, ergo voces non sunt objectum Logicae. Prob. 2. Quia omnia ea quæ tractat Logicus non gratiâ vocum adducit, ergo voces non sunt objectum; probatur ant. quia voces adferuntur in gratiam aliorum ergo non gratiâ sui: prob. ant. nam propter conceptus mentis exprimendos voces adhibentur. Probatur tertio nam ea quæ in Logica tractantur non referuntur ad voces, imò voces secundum multiplicem considerationem ad diversas spectant scientias, nam in quantum ens sunt, eas Metaphysicus considerat, in quantum soni sunt ab ore animalis procedentes cum imaginariis significatione, Onimasticus considerat, si considerantur ut demulcentes sunt aurium, Musica sibi vendicat, si spectentur ut ordinatæ ad persuadendum in dictione, Rhetorica suas dicit, si deniq; accipiuntur ad constructionem faciendam in sermone vulgari, Grammatica sunt, ergo. Probatur tandem secunda pars Conclusionis, quia inde sequeretur quod si voces essent vel partiale objectum Logicae, quod etiam essent cujuslibet scientiæ, sed hoc est inconvenientissimum, ergo: prob. sequel. Quia tamen bene physica dum describit corpus naturale, quam Metaphysica dum ens definit, utitur vocibus, ergo. Confirmatur Conclusio, quia sicut nunc & de facto adhibemus voces ad exprimendos conceptus, & ad deducendum ex notiori ignotum, ita etiam possemus adhibere nutus, vel scripturas & characteres, sed tamen exinde nullus diceret quod nutus, characteres, & scripturæ sint objecta Logicae, ergo nec pariter dicendum est quod sint voces, licet eis utatur Logicus, quia id non facit primariò in gratiam vocum, sed propter sciendi modos, ad quos preferendos & declarandos eas adhibet & utitur. Sed in contra

**Arguitur** In Syllogismo vocali est artificium aliquod, quod ad Grammaticum non pertinet, ergo spectat ad Logicum consequenter

patet: prob. ant. quia Grammatica non tractat de forma Syllogistica ergo aliquid est in Syllogismo vocali, quod ad Grammaticum non pertinet, consequenter nec voces tantum sed & ad Logicum. R. dist. ma. est aliquid artificium &c. per se concedo ant. est aliquid artificium quod ad Grammaticam non spectet per accidens nego antecedens & consequentiam, nam in quacumq; scientia fermocinatio fiat, ad Grammaticam spectat debita verborum & nominum constructio. Sed

**Instabis** sequeretur inde Aristotelem in libris Periherm. & Elench. Grammaticam docere, sed hoc est in convenientissimum ergo. prob. sequel. quia in illis agit de terminorum, vocum, & orationis significatione, ergo: sed R. dist. sequelam ma. sequeretur Aristotelem in libris Periherm. & Grammaticam docere ex instituto & per se nego sequel. ex necessitate & per accidens concedo sequel. Itaq; quia vidit Aristoteles tempore suo multum prevalere Sophismatum illusiones, judicavit necessarium aliquid supplementum Grammaticæ facere, & illa luculentius quæ dubia erant in Dialecticæ explicare, ex quo non inficiari potest, nam magnam in multis Dialecticæ cum Grammatica habet Affinitatem quod si quis autem instet & adhuc

**Urgeat** Aristoteles vocavit libros suos idem Perihermias quia sunt de Interpretatione significationum vocalium, ergo arguit de vocibus principaliter, sed R. concessio ant. negando consequentiam quia si illud antecedens aliquid probaret, probaret nimium, quia si agit de vocum significatione tantum, ut est ipsa libri intitulatio, ergo voces tantum essent, objectum Logicae, quod quàm verum sit viderint ipsi Advertarii. Sed

**DICO 2.** Tres mentis operationes etiam ut dirigibiles non sunt objectum Logicae. Hæc est Magistris, Baronis, &c. & Scotistarum communior contra Neotericos & signanter Averfam, ex Scotistis Pontium, disp. 1. q. 4. concl. 3. Prob. Ad Objectum requiritur ut de ipso præsupponatur, non solum an est? sed quod quid est, seu ejus definitio, sed hoc non præsupponitur de tribus operationibus mentis, ergo non possunt esse objectum Logicae; ma. est certa mi. probatur. Quia hoc habetur ex libris de anima, quæ sit earum definitio, ergo. Probatur 2. Si tres mentis operationes ut dirigibiles sunt Logicae objectum, sequeretur quod Logica subalternaretur scientiæ de anima, sed hoc dicendum non est, ergo nec illud ex quo hoc sequitur: prob. seq. ma. nam ad scientiam subalternatam nihil requiritur nisi quod principia subalternata sint conclusiones subalternantis, & quod subalternata ad suum objectum differentiam addat accidentalem, sed hic ista omnia reperiuntur, ergo: mi. probatur. Quia principia Logicae essent conclusiones scientiæ de anima, nam in illis libris hoc ostenditur sic: Quot sunt in intellectu modi concipiendi, tot sunt intellectus operationes, sed sunt tres concipiendi modi in intellectu, ergo etiam sunt tres operationes intellectus, & additur ipsis insuper differentia accidentalis, scilicet dirigibilis, ergo. Sed contra Conclusionem sic

**IV.** Mentis operationes non sunt objectum.

V.  
Operationes  
intellectus  
non sunt pro-  
pter instru-  
menta in esse  
physico bene  
tamen in esse  
scibili.

**Arguitur** sicut operationes quæ tales spectant ad Animasticam, ita quæ dirigibiles spectabunt ad Logicam, sed si in Logica considerantur, non videtur quomodo reduci possint ad instrumenta, ergo ipsa objectum potius sunt constituendæ; prob. mi. Operationes intellectus non sunt propter instrumenta, sed instrumenta propter operationes intellectus, sed media reducuntur ad finem, & non finis ad media, ergo cum operationes sunt finis propter quas sunt instrumenta, instrumenta ad operationes, & non operationes ad instrumenta reduci debent, consequenter erunt objectum Logice. R. concessa ma. negando mi: bene enim operationes ad instrumenta, seu modos sciendi reduci possunt, quia operationes intellectus in Logica considerantur quatenus dirigibiles, quod fit in gratiam instrumentorum, nam cognitæ eorum dirigibilitate apta conficiuntur instrumenta ad eas dirigendas: ad prob. mi. dist. ma. Operationes intellectus non sunt propter instrumenta in esse physico concedo ma: in esse scibili nego ma: In esse scibili res aliter se habet sicut in libris post demonstratio est propter scientiam in esse physico, & scientia est finis demonstrationis, nec ponitur ideo tamen scientia pro objecto, sed potius demonstratio, quia ibi consideratur natura scientiæ, ut rectè conficiatur instrumentum generativum ejus, unde Arist. lib. post. cap. 2. ex hoc quod scire rem est eam per causam cognoscere, infert quod demonstratio debeat esse ex primis veris, ex quo evidens est quod Aristoteles consideravit scientiam propter demonstrationem.

**Instatur** In aliis facultatibus Organicis non instrumentum, sed operationes ad quas instrumentum dirigitur est Objectum ergo etiam hoc in scientia Logica debet fieri. ant. probatur, nam in facultate scriptoria non calamus, sed scriptura est objectum, in pictoria non penicillus, sed pictura, ergo. R. duplices esse facultates Organicas, aliæ sunt simpliciter tales, quæ circa instrumenta versantur & nullo modo attingunt opus ad quod ordinantur, sicut se habet frœni factoria, respectu equestris, lignaria respectu nauticæ, aliæ sunt e contra quæ etiam ipsum opus attingunt ad quod ordinantur, ita ut non sint nec dici possint simpliciter ministratoriæ, nam licet de instrumentis agant, non tamen id faciunt ut aliis subministrant, sed ut ipsi eis utantur & tales sunt pictoria, scriptoria, medicina &c. in his quidem & similibus instrumenta non sunt objectum, sed ipsæ operationes, non tamen in facultatibus primi generis, cujus generis etiam est Logica, unde in forma R. dist. ant. In aliis facultatibus quæ sunt simpliciter ministratoriæ non instrumenta sed operationes sunt objectum nego ant. quæ non sunt simpliciter ministratoriæ concedo ant. & nego consequentiam disparitas patet ex responsione.

**Urgetur** Ethica facultas est quæ simpliciter tradit regulas directivas voluntatis, & tamen operationes voluntatis sunt objectum voluntatis & non regula & præcepta quæ ordinantur ad operationes, ergo & sic in Logica dicendum est. Sed R. primò negando ma. quia

Ethica non simpliciter tradit regulas, sed etiam ipsa simul elicitive attingit operationes voluntatis directas, adeoq; redit solutio prior. unde R. 2. Negando mi. quia non operationes sunt objectum Ethicæ, sed homo in quantum beabilis est, ut innuit Scotus q. 3. Prologi. ad 3. sed Responso prior argumentum solvit melius. Attamen

**Arguitur 2.** Logica docet definire, dividere &c. sed definitio divisio &c. sunt operationes intellectus, ergo operationes intellectus erunt objectum Logicæ. R. dist. ma. Logica docet definire dividere &c. formaliter nego ma. idealiter tantum dando instrumenta directiva apprehensionis, iudicii concedo ma. & dist. etiam mi. divisio, definitio. sunt operationes intellectus ut formaliter considerantur concedo, ut idealiter nego mi. & consequentiam sed assumendo

**Instatur** Ut directivè & idealiter considerentur sunt operationes intellectus ergo. R. definitionem, divisionem, &c. dupliciter considerari posse, scilicet formaliter & objective, formaliter sumuntur, quatenus sunt actus divisionis, argumentationis &c. objective verò quatenus sunt instrumenta quædam directiva actum intellectus, & secundum hoc munus terminare possunt actum intellectus, & tanquam objecta scientiam constituere, si primò ergo modo considerentur cum operationibus intellectus coincidunt, non verò si secundo.

**Dico 3.** Res omnes quatenus sunt intelligibiles non sunt Objectum Logice. Hæc est contra Ariagam & Probatur breviter, si res omnes quatenus intelligibiles vel scibiles possunt esse objectum Logicæ omnes aliæ scientiæ superfluerent, sed hoc non debet dici ergo. Ma. probatur ex Scoto q. 3. prædicam. Nihil est subjectum alicujus scientiæ nisi sub ratione scibilis, ergo si res omnes quatenus scibiles sunt spectant ad Logicam superfluent, consequenter omnes aliæ scientiæ. Confirmatur, quia ad Metaphysicam spectat considerare res omnes ut intelligibiles, cum hæc sit præcipua passio entis ut sic, quod est objectum, Metaphysicæ, de objecto autem alicujus scientiæ debent demonstrari in illa scientia passiones, ergo non spectabunt ad Logicam adequatè. Sed contra Conclusionem

**Opponitur** Autoritas Aristotelis. VIII. Explicatur Aristotelis.  
1. Elench. 11. & 1. Rhet. cap. 1. ubi docet Logicam non versari circa rem aliquam determinatam, sed circa omnes res & 4. Met. l. 5. ait Dialecticam laborare circa omne ens sicut Metaphysicam, ergo ex mente Philosophi res omnes erunt objectum Logicæ verum tamen R. Aristotelem 1. Elench. & Rhet. voluisse solum Dialecticam quantum ad usum versari circa omnes res & ad nullam determinatam restringi, quia in omnibus scientiis Syllogismi exercentur, & in hunc sensum etiam explicari potest 4. Met. 5. Laborat enim Dialecticus circa omne ens, quia omnibus rebus applicantur instrumenta Logicalia, ideoq; dicitur scientia communis ut innuit Scot. q. 3. unio.

**Dico 4.** Ens rationis non est objectum Logice, Ita IX. Ens rationis non est objectum.

Ita Comptonius, Pontius &c. Probatur Conclusio, si ens rationis esset objectum Logicae non posset haec scientia alias demonstrare passionem quam rationis, sed hoc est falsum ergo: probatur sequela, quia passio non est praestantioris naturae quam subiectum, unde illa emanat, ergo, probatur etiam minor, quia scientiam efficere est aliquid reale. Prob. 2. Ut aliquid sit objectum attributionis debent omnia posse reduci ad illud quae in scientia illa tractantur cuius est objectum, sed ad ens rationis non possunt omnia reduci quae tractantur in Logica, ergo. prob. mi. quia ratiocinatio ipsa materialis affirmatio unius de alio &c. quae Logicus ex professo tractat, priora sunt omnibus respectibus rationis quae in eis resultant, sed subiecta realia non reducuntur ad formas rationis se ipsis posteriores ergo. Confirmatur 1. si nullum esset ens rationis, adhuc dari posset Logica, & traderet ea omnia quae nunc edisserit, verbi gratia demonstrationem gignere, scientiam, Syllogismum probabilem, opinionem &c. Confirm. 2. Quia Aristotelis nec minimam mentionem de ente rationis in sua Logica fecit, quod revera non fecisse credendus est si ens rationis objectum Dialecticae fuisset. Sed in Contra

**Arguitur** Si subiectum vel objectum Logicae non esset ens rationis, deberet esse aliquid reale, sed non potest esse aliquid reale, ergo erit ens rationis; minor probatur, si objectum esset aliquid reale, scientia etiam esset realis, sed hoc est contra communem Philosophorum sententiam, ergo: minor patet quia Logica universim appellatur rationalis & non realis. R. negando mi. cuius probationis majorem dist. esset etiam scientia realis id est quae tractaret de rebus proprie loquendo nego ma. quae tractaret de signis rerum concedo ma. & distincta similiter mi. nego conseq. Nam propterea non tollitur quin sub hac ratione scientia realis dici possit, cum in hac acceptione sermo etiam dicatur & appelletur res. Sed

**Instatur** Illa signa rerum de quibus agit Logicus sunt entia rationis, ergo ab illis Logica non poterit adhuc denominari realis. probatur ant. illa signa rerum sunt genus, differentiae, &c. sed illa omnia sunt entia rationis ergo: ma. patet, probatur mi. Quia illud est ens rationis quod habet esse solum per intellectum, sed dicta tantum habent esse per intellectum, ergo sunt entia rationis, R. negando ant. & probationis mi. cuius probationis majorem distinguo, illud est ens rationis quod solum habet esse per intellectum fingentem concedo ma. per intellectum quomodo docuq; cognoscen- tem nego. ma. Genus ergo species & caetera universalia non finguntur ab intellectu, sed solum representantur realis natura, non representata differentia individuali vel specifica, fiunt ergo ab intellectu denominante, non fingente. Sed

**Urgetur** Sicut datur una scientia quae tractat de ente reali realiter, & est Metaphysica, ita debet dari aliqua scientia quae tractet de ente rationis, sed talis scientia non potest esse Physica vel Metaphysica, quia istae tractant de ente reali ergo est Logica, sed tunc melius &

aliud objectum assignari non potest quam ens rationis ergo. Sed R. dist. secundam partem majoris ita debet dari alia scientia quae tractet de ente rationis directe nego ma. indirecte concedo ma. ens rationis enim ad nullam scientiam realem pertinet directe, sed directe & reductivè spectat ad Metaphysicam, quatenus secundum suam essentiam ens rationis est ens apparens, nam secundum Philosophum 4. Metaph. l. 4. Eiusdem scientiae est considerare quod est tale, & quod videtur tale. similiter dist. mi. & nego conseq. quod si quaeras ad quam ergo scientiam ens rationis directe pertineat, tunc Respondeo ad scientiam rationis. Sed de his satis & ad alia motum faciendo

**Dico 5.** *Sola demonstratio non est objectum attributionis in Logica.* Haec colligitur ex D. Angustino lib. 2. Ord. cap. 13. ubi enumerat ea quae Logica tractat asserens eam verum a falso discernere, definiendo, distribuendo, & colligendo, & lib. 2. Doct. Christ. cap. 37. vocat eam praecipua Conclusionum, definitionum, & distributionum, ergo ex mente ipsius non sola demonstratio est objectum Logicae, Quod Confirmatur, & simul probatur Conclusio, ratione, Caetera omnia quae tractantur in Logica non possunt ad demonstrationem reduci, sed hoc requiritur ex supra dictis, ergo demonstratio non potest esse objectum attributionis Logicae. probatur ma. quia aliae species argumentationis quae nec sunt partes, nec proprietates, nec principia, vel causae demonstrationis, ad eam reduci nequeunt, ut sunt Syllogismus Topicus, falsigraphus &c. ergo. Sed

**Arguitur.** Tam Syllogismus Topicus, quam Sophisticus ad demonstrationem reduci possunt, ergo demonstratio erit objectum adaequatum Logicae, probatur, ant. quemadmodum se habet ens rationis in Metaphysica, respectu entis veri, ita se habet Syllogismus Topicus & Sophisticus ad demonstrationem, sed ens rationis ad Metaphysicam reduci potest, quia est ens apparens & enti reali contrarium, ergo etiam reduci poterunt ad Syllogismum demonstrativum seu demonstrationem Syllogismus probabilis & apparens qui est falsigraphus, sed si ad demonstrationem isti reduci poterunt, jam demonstratio erit objectum Logicae, ergo est. R. negando ant. ad cuius probationis majorem dico, bene quidem comparari allegata ad se invicem, sed in Logica non modo considerantur Syllogismi probabiles & Sophistici, sed etiam multa alia quae ad demonstrationem reduci nequeunt, ut sunt definitio, divisio &c. insuper ajo disparitatem esse adhuc, quia ens rationis adhuc constituitur extra nihilum, adeoq; dicitur aliquantulum (praescindo an equivocè, vel univocè) rationem entis participat, sed de Syllogismo falsigrapho dicit Aristoteles nec quidem nomen Syllogismi mereri. Deniq; ut aliquid sit objectum adaequatum alicujus scientiae non sufficit, quod ad illud alia reducuntur tanquam contraria, alioquin sequeretur quod Syllogismus falsigraphus posset esse & esset objectum Logicae, quod tamen ridiculum esset & novum; probatur sequela, quia Syllogismus demonstrativus & aliae species argumentationis redu-

XI.  
*Demonstratio sola non est objectum.*

XII.  
*An Syllogismi omnes ad demonstrationem reduci possint?*

reducuntur ad Syllogismum falsigraphum veluti ejus contrarium. Tandem si ad scientiam de uno contrario spectaret per se agere de altero contrario, sequeretur quod ad Physicam quæ est de ente naturali materiali, spectaret agere de ente spirituali, & consequenter sicut Physica nunc agit de corpore, ita deberet pariter agere de spiritu, quod nemo dicit, sed contra totum hoc dictum

**Instatur** defacto agit Physicus de anima, sed anima est spiritualis, ergo bene in una scientia unum contrarium ad aliud reduci posset, & consequenter solutio nulla. Sed R. dist. ma. defacto Physicus agit de anima sub ea præcisè ratione quâ spiritualis est nego majorem, in quantum est actus corporis organici concedo ma. & concessa mi. quodq; nego consequentiam.

**Urgetur** Theologiae objectum est Deus sub quacumq; demum ratione, quod defacto tam exactè non disputo, sub sententia tamen communiore, in quantum est Veracitas divina revelans, sed in Theologia agitur de peccatis per se quæ ad DEUM prorsus nulla ratione reduci possunt, quàm sub ratione contrarii, ergo ad hoc ut aliquod sit objectum attributionis fat crit quod ad illud alia omnia reducuntur, etiam per modum contrarii. major est certa, probatur mi. quia peccata non possunt referri ad Deum per modum principii, vel causæ, minus per modum proprietatis aut passionis, (quod cogitare & fidem lædere, & crimen læsæ majestatis Divinæ esset committere) nec possunt referri ad Deum veluti ad finem, utpotè cum ejus adeptionem non promoveant, sed avertant: sed R. concessa ma. & distingo minorem, peccata non possunt referri ad Deum concedo ma. peccati cognitio non potest ordinari & referri ad Dei cognitionem nego mi: Itaq; longè diversum est dicere quod peccatum referatur ad Deum, aliud quod peccati cognitio ad Deum cognoscendum conducatur, nam peccati notitia duobus modis potest ad pleniorum Dei notitiam conducere, sicq; licet non in esse entis, in esse tamen scibilis ad Eum referri: primò itaq; ex peccati consideratione, virtutis splendor & gloria magis elucescit & enitescit, & exinde bonitas Dei & perfectio, qui ad virtutem provocat præmiis, terret poenis, & gratiâ allicit & trahit. Deinde Dei sanctitas & excellentia non parum exinde commendatur quod rei, vel potius tam fœdi nihili, author esse nõ possit.

XIII.

Objectum  
Logicae Aristotelicae  
est  
Syllogismus.

**Dico 6.** Objectum Logicae Aristotelicae adæquatum est Syllogismus ut sic. Est Scoti & communior sententia Scotistarum, Probatur 1. ex refutatione aliarum opinionum. Secundo, quia illi omnes conditiones competunt quæ ad rationem objecti requiruntur, nam in primis prima competit, nam in ea supponitur esse, & Aristoteles post tractationem de principiis remotis & proximis in libris de Cathgoriis & Periherm. in libris priorum definit tandem Syllogismum; habet etiam conditionem secundam, quandoquidem omnia quæ in scientia tractantur, vel sunt principia ejus, ut habetur in libris Perih. vel proprietates, ut in lib. priorum, aut species quæ habentur in libris Topicorum & Elenchorum. Ita discussit Scotus 1 priorum q. 2.

Habet deniq; etiam tertiam, nam cetù est quod Logica Aristotelicae considerationis per Syllogismum distinguatur ab omnibus aliis scientiis.

**Dices** Cum Bonaventura, Barone Tom.

1. Apologia. 4. act. 4. Non est distinguendum inter Logicam Aristotelicam & in se, ergo si Logica Aristotelicae objectum est Syllogismus, etiam erit Logica in se; probatur ant. quia Aristoteles non potuit aliter eam variari quàm in se ipsa fuit, sicut non potuit physicam variare, aut mutare objectum ejus ergo. Verumtamen licet hic argumentandi modus & discurrendi de objecto Logicae facile videatur tollere difficultatem, & qui etiam veluti novus gratior apparet, attamen perspicienti nihil dicere videtur, unde R. in forma negando ant. cujus probationis ant. concedo & nego consequentiam, neque enim Antiquiores & ego cum illis dico Logicam talem ab Aristotele sortitam esse partitionem, aut Aristotelem eam partitionem, & divisionem distinctionemque fecisse, sed quia in seipsa Logica dupliciter erat considerabilis, ideo illud Aristoteles invenit, non verò ex eo quod invenerit sic esse, fecit, & ut utar secundo D. Augustini verbis loquendo de partitione Philosophiæ lib. 11. de Civitate cap. 25. *Neg enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt*, unde quia Aristoteles invenit Logicam dupliciter accipi posse, ideo secundum unam acceptionem quâ ipse usus est, bene dicitur Logicae objectum esse Syllogismum, ex quo apparet quàm leve fundamentum habuerit adificium Baronis, quod tam citò veluti caserta vilbani ruit. Sed ad nostra redeo & informa consueta progrediendo, objectionem aliorum pono, quare Conclusionem directè

**Arguitur.** De Syllogismo non potest haberi scientia, ergo nequit esse objectum Logicae, quæ ut suppono est scientia, ant. probatur, scientia non potest haberi nisi per Syllogismum, sed hoc nequit fieri, quia talis Syllogismus vel esset notus, vel ignotus, si ignotus non posset generare scientiam, si notus, ergo per alium Syllogismum, & sic in infinitum: R. negando ant. & probationis minorem, de Syllogismo enim ut sic potest haberi scientia per alium Syllogismum, qui esset vel ex terminis, vel per Logicam naturalem notus, ita ut non desideraret per alium Syllogismum artificiosum ostendi. Sed

**Instatur** Omnis scientia quomodocumque fiat debet fieri per Syllogismum seu naturalis, seu artificialis Logicae, sed talis Syllogismus non potest fieri de Syllogismo ut objecto Logicae, ergo nulla solutio; patet ma. probatur minor, ut de aliquo habeatur vel fiat scientia, seu id contingat artificialitèr, seu naturalitèr, illud de quo fit Syllogismus debet esse necessarium, sed Syllogismus non est necessarius, quia potest adesse vel abesse ergo. R. concessa ma. negando mi. cujus probationis ma. distingo, Objectum debet esse necessarium quoad existentiam nego ma. quoad essentiam, seu quoad connexionem prædicati cum subiecto concedo ma. sic autem Syllogismus est necessarius, nam ante omne opus mentis debet habere tres terminos, & medium bene distributum.

**Urgetur**

XIV.  
Refutatum  
Baro.

XV.  
De Syllogismo potest haberi scientia.

Urgetur Si Syllogismi Essentia necessaria esset, sequeretur quod praesupponi deberet ante omnem scientiam, ut est conditio prima requisita ad objectum adaequatum attributionis, sed Syllogismus non sic praesupponitur quid sit, ante omnem scientiam, ergo ejus essentia necessaria non est; prob. mi. illud quod praesupponitur in scientia aliqua quid sit, non fit à scientia, etiam quantum ad connexionem praedicati & subjecti, sed Syllogismus fit à scientia Logicali, ut est certum, ergo. R. concessa ma. negando mi. cujus probationis mi. distinguo, Syllogismus fit à scientia Logicali, seu Logica conicit Syllogismus, Logica quae est scientia nego mi. quae non est scientia concedo mi. nam Syllogismus non conicit Logica docens, sed utens, illa tantum regulas tradit & praecipit recte coniciendi. Ut ergo finem faciam tam profusa litis de qua Dialectici certant, & adhuc sub Judice est, ideo.

instrumentum sciendi materiale, & ita conjungendo partem materialem cum formali subjectum adaequatum sciendi instrumentum sit, quatenus directivum; qui dicendi modus eandem censuram patitur, quam ille qui in Philosophia naturali statuit pro objecto corpus mobile quatenus mobile, quia non est confundenda ratio formalis subjecti cum passione ejusdem, cum haec debeat illam de subjecto demonstrare, directivitas vero est propria passio instrumenti sciendi, ideo non bene conjungitur cum eo veluti ratio formalis, assignanda est ergo ratio formalis objectiva Logica in se, sicut in aliis scientiis, unde sicut in Philosophia naturali ponitur subjectum, corpus naturale quatenus tale, & in Metaph. ens ut ens, in Logica quoque erit instrumentum sciendi quatenus tale, hoc est, quatenus habet virtutem faciendi scire, vimque dirigendi, ita enim specificatur ratio formalis secundum quam consideratur, & secundum quam de ipso directivitas veluti propria & adaequata passio potest praedicari & demonstrari.

QUAESTIO V.

An Logica sit Scientia?

**DICO 7.** Objectum Logica in se est modus sciendi ut sic. Haec est Scoti & Scotistarum communiter Fonseca 2. Met. c. 3. q. 1. sect. 4. Conimb. q. 2. proom. Tartareti, Toleti, &c. Prob. Conclusio 1. Quia modo sciendi ut sic conveniunt conditiones ad objectum requisita, ergo modus sciendi erit objectum Logica in se, ant. probatur, nam de ipso supponitur quid sit, & per suum quid est, demonstratur de eo passiones & proprietates, omnia ad ipsum ordinantur & reducuntur, & per illum ab aliis scientiis distinguitur ergo. Confirmatur, nullum aliud objectum Logica in se potest assignari quod esset objectum potius quam modus sciendi, ergo modus sciendi ut sic est assignandus: prob. ant. Quia si aliquid aliud maxime Syllogismus ut sic, vel demonstratio ut sic, sed hoc non ergo. Probatur, quia ad Syllogismus non possunt omnia reduci, quia non modus ut sic, nec ad demonstrationem, quia non Syllogismus Topicus, vel Fallographus, ad modum autem sciendi omnia possunt reduci, ergo. Probatur secundò Objectum artis instrumentariae simpliciter est instrumentum & non opus, sed Logica est talis ergo, ma. patet, minor est Philosophi 2. Met. t. 1. & j. top. c. 9. ubi vocat Logicam simpliciter instrumentariam. Confirmatur Logica agit de definitione, divisione, &c. sed haec non comprehenduntur sub Syllogismo ut sic, nec sub demonstratione, comprehenduntur autem sub modo sciendi ut sic, ergo.

**Nomen** Scientiae multifariam multisque modis accipi potest, Primò enim accipitur laxissime pro quacunque; etiam experientia, sic dicitur communiter quod qui expertus est frigus, vel calorem sciat esse frigidum, vel calidum; Secundò sumitur laxius, non tamen in omni laxitate ita quod idem significet quod fides, sic frequens usus, & loquendi modus irrepit, ut dicatur nos scire, Verbum esse incarnatum, Deum esse unum & trinum, &c. Tertio sumitur laxè pro quacunque; notitia quomodoconque; acquisita sive per narrationem aliorum, seu perlectionem, vel alio modo, sic dicitur quod Petrus verbi gratia sciat esse Romam, Indias, Japoniam, &c. vel quia legit, vel quia audivit. Quarto tandem strictè & proprie prout ad propositum spectat pro notitia & cognitione illa quae ex certis & evidentibus causis in forma syllogistica deducitur, & in hac acceptione duplex est, una est habitualis, altera actualis, habitualis est habitus de prima specie qualitatis permanens intellectualis, disponens intellectum non ad simpliciter, sed ad promptè & expedite operandum ex actibus frequentatis acquisitis: Actualis vero est scientia quae ab Aristotele 1. p. t. 5. ut ipsum citat Pontius sic definitur, Quod sit cognitio rei per causam per quam res est ita ut non possit se aliter habere, vel ut citat ipsum Maltrius 1. post. cap. 2. Scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, quod illius est causa, & non contingit se aliter habere, Ex quibus definitionibus ad rigorosè & proprie dictam scientiam sequentes requiruntur conditiones. Prima est quod sit vera, error enim & falsitas scientia non sunt; Secunda est quod sit certa, certitudo autem ut notat Cavellus de anim. disp. 3. sect. 6. & Averſa q. 26. sect. 3. est firma adhaesio intellectus alteri determinatae parti absque formidine de oppositio, si enim esset aliqua formido, non esset in intellectu certitudo, sed dubietas, nec scientia, sed opinio.

**Dices** cum Arriaga; Definitionem esse contentam sub Syllogismo in quantum ordinatur ad demonstrationem, & propter demonstrationem consideratur, ergo. Contra, esto sic possit considerari definitio, imò Aristoteles in sua Logica ita consideravit, tamen in Logica in se non debet considerari in ordine ad aliud, sed etiam propter se, & hoc patet, nam etiam si demonstratio esset impossibilis, adhuc esset scientia de definitione & divisione.

**Verumtamen** adhuc dubium remanet de ratione formali secundum quam Logica in se considerat modum sciendi, plures dicunt Logicam illum considerare quatenus directivum, ita ut directivitas sit objectum formale.

F. Amandi Hermann Logica.

I. Multipliciter accipitur Scientia.

Regulae ad veram scientiam.

I. Tert.

XVI.

XVII.

XVIII.

Tertia est quod sit evidens, Quarta quod sit de necessariis, Quinta quod sit de objecto universali & non de singulari, de singularibus enim non est scientia, quia scientia ostendit passionem de proprio & adæquato objecto, quod objectum non est singulare, quia si esset singulare aliis individuis non competeret, singulare enim est secundum omnes suas proprietates incommunicabile, risibilitas enim non Petro adæquatè convenit, sed homini, seu ut notat Basolus q. 5. prologi art. 2. ex Scoto q. 3. prologi, hæc conditio non convenit sententiæ ut sic, sed scientiæ creatæ de objecto suo, quia naturæ creatæ dividuntur in singularibus, nam de objecto increato singulari, sicut est Deus, potest esse scientia, quia illi primò conveniunt proprietates & passionis, seu potius quasi proprietates & passionis. Sexta conditio est, quod sit causata per Discursum Syllogisticum, quia scientia non est quælibet rei cognitio, sed cognitio rei per causam, an autem semper scientia debeat actualitèr causari per discursum, an verò potentialitèr tantum, sermo est de nomine & magis examinari solet in prologo Theologiæ quò lectorem pro nunc remitto.

II. His prænotatis Variæ sunt & fuerunt circa hæc questionem sententiæ, nam aliqui dicebant Logicam, nec docentem, nec utentem esse scientiam ita Simplicius, Amonius, Philoponus, & alii veteres, alii e contra e contrario diametro docebant Logicam tam docentem, quam utentem veram esse scientiam ita Didacus à Jesu q. 1. Cavellus disp. 2. dubio 4. & alii moderni: Alii Logicam docentem negabant esse scientiam, benè tamen utentem, non quidem distinctam ab aliis scientiis, sed esse varias scientias, ita Zabarella lib. 1. de natura Logica: asserens hæc esse communem Græcorum, alii deniq; asserunt Logicam docentem esse scientiam, non tamen utentem, sed utentem esse potius artem, ita Scotus q. 1. universal. quem Scotistæ sequuntur Mauritius, Anglicanus, Sarnandus Faber, Arriaga, Oviedo, Divus Thomas cum suis, & latini communitèr, cum quibus

III.  
Logica est  
vere scientia

DICO I. Logica docens propriè dicta scientia est; hæc est quartæ sententiæ, item D. Augustini pluribus in locis. In Dialect. cap. 1. ubi dicit: *Dialectica est scientia benè disputandi*, lib. 2. Doct. Christianæ cap. 35. *Scientia definendi dividendi, atq; partiendi, quanquam rebus falsis plerumq; adhibeatur ipsa tamen falsa non est*. lib. 11. Civit. cap. 25. eam appellat *Scientiam & scientiarum formam* lib. 2. ord. cap. 13. *Hæc docet docere aut, hæc docet discere, scit scire, sola scientes facere, non solum vult, sed etiam potest Disciplina disciplinarum*, ex quibus expressè colligitur non modò mens D. Aurelii, verum etiam encomia multa colliguntur. Videtur etiam esse D. Bern. nam licet expressè sub nomine Logicae scientiam appellat, vocat *Ratiocinationem* tamen quæ nihil aliud est quam Logica, *rationis inquisitionem*, tractat. de vit. sol. cap. 15. *rationem autem vocat: Aspectum animi, qui aspectum in rem aliquam conjectum cum eam videt scientia est*, sed Logica maximè quærit verum, & id à falso determinare, ergò. Probatur etiam ratione 1. Quia

illi omnes conditiones ad scientiam creatam requisitæ conveniunt, ergò est scientia: probatur ant. nam est certa, evidens, vera, necessaria, de objecto universali, causata per discursum Syllogisticum, ergò habet omnes conditiones. Probatur secundò ex Mastro, Logica procedit quoad omnes suas partes demonstrative ad probandas suas conclusiones, scilicet tam quoad partem Analyticam, quam quoad partem Topicam & Sophisticam, ergò quoad omnes partes est scientia: probatur ant. quia non modò de Syllogismo demonstrativo demonstrantur quod debeat procedere ex necessariis, sed etiam de Syllogismo topico probabilitas, de Sophistico apparentia & de Syllogismo simpliciter sumpto necessitas illationis, ergò. Probatur ant. ex Scoto q. 3. Elench. Quia tam benè ostenditur apparentia in Syllogismo sophistico veluti ejus passio per unitatem vocis in fallacia æquivocationis, tanquam per proprium medium, sicut risibile de homine per animal rationale, item per proprium medium probabilitatem demonstrat de Syllogismo topico, ergò. Probatur ant. in sequentibus Syllogismis necessariis sunt demonstrationes certæ & evidentes, omnis Syllogismus constant tribus propositionibus in modo forma & figura secundum subjectionem & prædicationem ritè dispositis, habet necessitatem illationis, sed Syllogismus in Barbara verbi gratiæ est talis, ergò habet necessitatem illationis, pertinet hic Syllogismus ad priorem analytin, & demonstratur de Syllogismo in Barbara propria passio, in posteriori verò analyti per veram demonstrationem acquiritur scientia certa & evidens hoc modo, Omnis Syllogismus procedens ex præmissis, veris, necessariis, causisq; conclusionis, generat scientiam, sed demonstratio sic procedit, ergò demonstratio generat scientiam; in parte Topica sic habetur notitia, Omnis Syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem, sed Syllogismus Topicus, seu Dialecticus procedit ex probabilibus, ergò generat opinionem, deindè in parte Sophistica hoc modo. Nullus Syllogismus in quo sunt quatuor termini, aut peccatur in modo & figura, necessariò concludit, sed Syllogismus Sophisticus est talis, ergò non necessariò concludit, sed istæ omnes sunt scientificæ demonstrationes, ergò tam benè ostenditur proprietates per veram scientiam de uno ac alio, & consequentèr Logica docens quoad omnes partes vera est scientia, Notandum non modò in partibus allegatis verum etiam de aliis objectis particularibus similes demonstrationes haberi posse, nam in Logica simili modo probatur. Quod universale prædicetur de pluribus quia inest multis, quod definitio fit modus sciendi manifestativus artificiosè ignoti, quia constat ex genere & differentia.

IV. Arguitur I. Ex autoritate Aristotelis 6. Metaphys. cap. 1. ubi enumerans scientias speculativas Logicae nullam fecit mentionem, sed solum recenset Mathematicam naturalem & Divinam, ergò ex mente ipsius Logica non erit scientia. R. negando consequ. & autoritatem ejus explico nullam fecit mentionem explicitè concedo, nullam fecit implicitè hic

hic nego. Itaq; quamvis non meminit expresse in hoc loco Logicæ meminit tamen alibi, unde quia jam supra dixi Logicam esse Philosophiæ partem, idèò reducit ad secundum membrum. quare objectio non stat, & insuper locus iste est ab autoritate negativa, quæ quantum in scholis valeat jam notum est, sed

**Instatur** licet Aristoteles alibi Logicæ fecerit mentionem nullibi tamen ut scientia sit, imò contrarium expresse asseruit, ergò stat adhuc argutio firma. probatur ant. quoad secundam p. nam i. Ethic. cap. 4. ait tollere naturam Logicæ qui eam non ut facultatem, sed ut scientiam tradunt, ergò expresse contrarium asserit; sed R. negando ant. ad cuius probationem respondeo, quòd Aristoteles non neget ibi absolute Logicam esse scientiam, sed qualem ibi eam alii ponebant, ut scilicet non esset disciplina organica, & aliis præmittenda, reprehendit enim, eos qui in Dialectica de materia omnium scientiarum promiscuè disputabant, & monet eam debere præmitti aliis, scientiis, quòd est longè aliud quàm dicere quòd absolute non sit necessaria.

**Urgetur**, Aristoteles ibi loquitur de Logicæ quæ est modus sciendi, sed hanc dicit proprie scientiam non esse, ergò non reprehendit tradendi methodum, sed vel eam scientiam negat, probatur mi: nam 2. Metaph. 1. 5. ait absurdum esse simul querere scientiam & modum sciendi, sed Logicæ est modus sciendi, ergò proprie scientia non est. R. negando mi. ad cuius probationis ma. ex autoritate dico post. Doctorem q. j. universal. Logicam dici modum sciendi non formalitèr, sed objectivè & materialitèr in obliquo, quatenus videlicet est de modo sciendi tanquam de proprio objecto, per scientiam verò alias intelligit scientias quæ sunt de rebus, & non de modo sciendi, & quia prius debet cognosci modus sciendi quam res, idèò ait Aristoteles absurdum esse utrumq; simul querere & Congeruntur ab aliquibus adhuc plures autoritates in contra ut 4. Metaph. 5. ubi ait Logicam non tractare de aliqua re determinata quod tamen ad scientiam requiritur, sed quomodo de Logicæ utente hoc explicandum sit dixi supra, Et i. top. cap. 9. enumerans tria problematum genera docet, quòd alia per se respiciunt electionem & fugam, ut sunt problemata activa, alia per se tendunt ad veritatem & scientiam, & sunt problemata speculativa, & alia demum utriq; parti auxiliari, & sunt Logica, ex quo volunt aliqui deducere consequenter Logicam scientiam non esse, sed revera Aristoteles id non intendit, quia exinde aliud non colligitur quàm quòd sit scientia organica & ministratoria, non profus gratia sui ut sunt aliæ scientiæ merè speculativæ. & Unde in forma R. dist. mi. probationis, Logica est modus sciendi ut est objectum terminativum cognitionis scientificæ nego mi. ut est habitus dirigens intellectum circa modum sciendi concedo mi. & nego consequentiam.

**Arguitur 2. ex ratione.** Logica non habet conditiones ad Scientiam requisitas, *F. Amandi Hermann Logica.*

ergò Logica non est scientia, probatur ant. ad scientiam requiritur quod sit de necessariis & perpetuis, sed ut ipse fatetur Aristoteles i. post. cap. 2. & 7. Sed Logica non est de necessariis & perpetuis, ergò prob. mi. quia Logica est vel de Syllogismo, vel de modo sciendi, sed ista non sunt necessaria cum contingenter à nobis fiant ergò. R. negando ant. cuius prob. ma. dist. scientia debet esse de necessariis necessitate incompleta nego ma. necessitate complexa concedo ma. Itaq; ut docet Doctor i. d. 3. q. 4. non exigitur in objecto scientiæ necessitas incompleta, nec de tali loquitur Aristoteles alioquin nec ipsa Philosophia, nec ulla cognitio de rebus creatis scientia foret, cum omnes sint corruptibiles & consequenter de Deo tantum daretur scientia, sufficit ergò necessitas complexa, id est, necessitas connexionis alicuius prædicati cum eo, & talis necessitas locum quoq; habet in entibus rationis & secundis intentionibus, nam & de ipsis formari possunt propositiones æternæ veritatis, conjungendo cum ipsis prædicata quæ ipsis necessariò competunt, & talibus propositionibus tota Logica est plena, ut quod genus prædicetur de pluribus specie differentibus, de quocunq; dicitur subjectum dicitur etiam prædicatum, & sic de cæteris. Sed

**Instatur** Extrema propositionum Logicalium sunt corruptibilia, ergò etiam connexio quæ super illa fundatur quandoquidem destructo fundamento destruitur quoq; fundatum. Sed R. dist. ant. Extrema logicalium propositionum sunt corruptibilia, simpliciter necessitate & immutabilitate simpliciter, concedo ant. necessitate & immutabilitate secundum quid nego. Itaq; secundum Scotum i. d. 3. q. 4. duplex est necessitas & immutabilitas, una simpliciter quæ competit extremis definitioni non obnoxii, altera secundum quid, quæ cadit inter extrema, quæ licet in se sint corruptibilia, habitudo tamen inter ea nunquam mutari potest, & hæc necessitas reperitur in propositionibus Logicalibus & sufficit ad scientiam, alioquin etiam urgeret argumentum in propositionibus Physicalibus & Mathematicis, quarum extrema sunt corruptibilia.

**Urgetur** Propositiones hujus Syllogismi facti in Barbara: *Omnis canis est asinus, omnis homo est canis, ergò omnis homo est asinus;* nullam habent necessariam connexionem, imò quia omnes falsæ, necessariò dissolvi debent, sed tamen hic Syllogismus est verus actus Logicus, ergò non habent connexionem necessariam nec quidem secundum quid, R. dist. ma. Propositiones illius Syllogismi non habent necessariam connexionem nec quidem secundum quid si separatæ qualibet considerentur, & ratione materiæ concedo ma. si consideretur forma totius Syllogismi, & connexio propositionum primarum duarum ad inferendam tertiam nego ma. Quia licet illæ propositiones non necessariò veræ, sunt tamen necessariò illativæ, & habent necessariò posse inferre scientificam consequentiam, licet non scientificum consequens, quia in forma figura & modo sunt legitime dispositæ.

I 2

Dico 2.

VI. Logica utens non est scientia sed ars.

Dico 2. Logica utens tam habitualis, quam actualis non est scientia, sed ars. Hæc est Scoti & suorum supra. prob. Quia Logica utens propriè loquendo est habitus quo instructi facillè conficiunt definitiones, divisiones, & argumentationes, juxta præcepta Logicæ docentis, cum ergò circa singularia versetur, & circa res à nobis operabiles, non erit scientia, sed ars, quia ars est habitus cum recta ratione factivus, quia autem non conficit opera externa, sed interna, non erit ars mechanica quæ in operibus externis consumatur, sed liberalis in bonum animi ordinata.

VII. Explicatur Aristoteles.

Dices Aristoteles 6. Eth. cap. 4. dicere videtur quòd ad rationem artis requiratur ut producat opus externum, ergò siquidem utens non producit opus externum, non erit ars. R. explicando Aristotelem cum mirum fuisse locutum de artibus mechanicis, non verò liberalibus, si enim ad artem universim requireretur ut producat opus externum, artes liberales amitterent rationem artis, cum interius præfertim consumuntur, utpotè quæ ordinatæ sunt ad bonum animi, non corporis. Vel dic Aristotelem hoc dixisse pro clariori, ut videlicet magis cognosceremus quid sit praxis, siquidem quòd sensibus exterioribus percipimus facilius capimus. Scotistæ tenentes habitum Logicæ docentis & utentis non esse distinctum satis urgentur & torquentur argumento hoc, nempe: habitus non sunt distincti, sed Logica docens est scientia, ergò & utens, nobis tamen nihil facit utpotè cum vel hanc ob causam admiserim diversos habitus, & maxime per hoc probaverim.

QUÆSTIO VI.

An Logica sit scientia practica, vel speculativa.

I.

Quoniam status quæstionis ejusq; resolutio dependet à noticia quid praxis, quidq; noticia practica sit, idèd non inconsultò ante decisionem quæstionis examinabo priùs quid sit praxis? Et an actus intellectus possint esse praxes? Quia si concederetur actus intellectus praxes esse posse, concluderent legitime adversarii scientiam Logicam practicam esse. Unde nota I. Praxin multipliciter sumi ab authoribus, nam primò sumitur latissimè pro operatione cujuscunq; tam internæ, quàm externæ. Secundo strictius pro operatione quæ est in nostra potestate, quæq; potest esse bona, vel vitiosa, ut sunt tam intellectus quam voluntatis & omnium potentiæ sensitarum operationes. Tertio strictissimè & est, quando accipitur pro operatione elicità conformitèr ad dictamen rationis & electionem voluntatis, & sic ad eam debet concurrere intellectus ostensivus, finis ipsi voluntati, Hinc differentia magna est inter praxin & notitiam practicam, nam illud dicitur practicum, seu noticia practica quæ dirigit aliquem actum, ille ergò actus qui est directus dicitur esse praxis, verbi gratià ille actus manens in intellectu, Deus est super omnia propter se diligendus est practicus, qui potest dirigere

Multipliciter accipitur praxis.

actum voluntatis nostræ ut actu Deum amet, verbi gratià si voluntas Deum benedictum amando diligeret Deum, non propter omnia, vel non propter se, tunc intellectus posset dicere voluntati, vide voluntas quid agis, non sic Deum amas, nam Deus est super omnia & propter se amandus, quo facto si voluntas sese emèdaret & Deum non ampliùs inordinate & propter aliud amaret, sed propter seipsum tunc diceretur voluntatis amor praxis, & illud dictamen diceretur noticia & cognitio practica quia direxit actum voluntatis, sic actus amoris praxis diceretur, quia esset actus directus, Notandum tamen, non esse necessarium ut noticia practica semper actu dirigat praxin, sed sufficit quod sit directiva praxeos sicut, ut ignis dicatur calefactivus, non requiritur ut actu semper calefaciat, sed sufficit quod possit calefacere. Advertendum secundo notitiam practicam esse duplicem unam formalem, alteram quæ dicitur virtualitèr practica, noticia formalitèr practica est quæ formalitèr tendit ad directionem praxios, ut Deus est amandus super omnia, vel formalitèr tendit in modum quo bene vel malè fiat praxis, ut scriptura potest sic & sic fieri. Virtualitèr practica est quæ licet non tendat in actualem causationem praxios, aut ejus modum quo bene vel malè fiat, tamen ex illa elici potest praxis, ut Deus est summè perfectus & summè bonus, practica ex hac propositione sequitur ergò amandus. His ergò notatis.

Notitia practica est duplex.

Dico I. Praxin definitur à Scoto quòd sit

actus alterius potentie ab intellectu naturalitèr posterior intellectu, natus elici conformitèr rationi rectæ ad hoc ut sit actus rectus. Ita Doctor q. 4. prologi & omnium Scotistarum D. Thomæ j. 2. q. 57. a. j. Complutensium disp. 1. procm. q. 6. Suarez, &c. Probatur explicando omnes ejus partes, Dicitur enim praxin debere esse actum alterius potentie ab intellectu, quia omnes concedunt intellectum fieri practicum extendendo se ad regulandam & dirigendam praxin, Nec dicendum cum Arriaga & Hurtado frustra & sine ulla auctoritate assignari quod praxis debeat esse alterius potentie ab intellectu, aut nullum hujus rei esse in Aristotele fundamentum, nam utrumq; falsum est quod assumunt, nam auctoritatem sufficientissimam faciunt Realium Scholarum Principes subtilissimus Doctor & Angelicus, quorum primus nunquam subtilissimus esset nisi esset etiam angelicus ut eruditissimus quidam Theologus Arriaga & Hurtadi socius per modum elogii de Scoto scripsit, teste Ambrosio Peuplus; Deinde quoad alterum, miror tam solennes Aristotelis sectatores asserere posse hujus rei nullum esse in Aristotele fundamentum, cum tam in libris de anima 3. cap. 3. t. 50. dicat intellectum practicum esse illum, qui est principium agendi, sed non potest dici quod ille sit intellectus practicus qui est principium agendi actione intellectiva, quia etiam intellectus speculativus est principium agendi tali actione intellectiva, ergò dici debet quod sit ille intellectus practicus qui est principium agendi actione alterius potentie. Dicitur secundo quod praxis debeat

II. definitur praxin.

debeat esse actus posterior intellectu, constat hoc ex Philosopho, nam directum quod directum est naturaliter posterius suo directivo, sicut mensurabile sua mensura, cum mensurabile pendeat a mensura; Per hanc particulam excluduntur actus potentiae nutritivae, & vegetativae, qui non ut fiunt, licet aliquando per accidens illam praesupponant.

III. **Dices.** Potest aliqua praxis praecedere intellectum, ergo non requiritur quod praxis sit posterior actu intellectus, seu intellectione; probatur ant. videre est praxis, sed bene possum aliquid videre antequam intellectus habeat cognitionem seu intellectionem mei visus, ut fit quando intellectus aliis occupatus est, & oculus aspicit aliqua objecta quod intellectus tamen non advertit, ergo non requiritur quod praxis sit actus intellectu posterior. **Responsum.** (idem dic de aliis sensuum tam exteriorum quam interiorum operationibus) considerari posse dupliciter, una vice prout praecedit intellectionem & sic non sunt praxes, altera vice ut sequuntur intellectionem & imperantur a voluntate & sic sunt praxes, ex quo patet, quomodo ad argumentum in forma respondere possis & debeas.

IV. **Tertio** Denique additur in definitione quod sit & esse debeat actus elicitus conformiter rationi rectae, ad hoc ut sit actus rectus, pro cuius dicti intelligentia notandum quod notavit Smiling q. 4. prologi & Suarez disp. 44. Met. Sect. 13. n. 27. duplicem posse inveniri rectitudinem in praxi unam moralem, quae est actus aliquis praemio & vita aeterna dignus, alteram artificialem, quae est opus aliquod artificiosum factum, quae duae rectitudines conjunctim & divisim possunt reperiri in praxi. divisim si verbi gratia pictor pingat imaginem artificiosam, sed mala intentione tunc erit in illa operatione & praxi rectitudo artificialis, sed non moralis, e contra vero si pingat turpiter, sed bona intentione tunc erit in praxi rectitudo moralis, sed non artificialis, si vero & artificiosam & bona intentione pingatur imago, tunc inerat operationi & praxi utraque rectitudo. Notandum secundum quod Scotus hic definit praxin tantum bonam (mala etenim praxis non est conformis rectae rationi qualis nimium frequenter datur) & non malam, quod ultimae denotant haec particulae, proinde sine causa Arriaga confurgit contra Scotum, quasi esset mala definitio, supponere namque debuisset Arriaga Scotum tantae simplicitatis non extitisse quantae ipse fuit respectu ingenii Scotici, ut negaret peccaminosa opera praxes esse, sed negavit bonas esse praxes, unde Tartaretus dicit opera mala praxes esse in largiori acceptione, non vero in rigidiori, rationem affert, quia non sunt conformes rationi rectae.

V. **Dico 2.** Nullus actus intellectus, sive praecedens imperium voluntatis, sive subsequens imperia ejus est praxis, prout definitur Scotus. Ita Tart. Faber, Smiling, Rhada, Mastrius &c. Prima pars patet, Quia nullus actus intellectus ut praecedit imperium voluntatis est alterius potentiae ab intellectu. Prob. 2. p. Omnis praxis debet esse

actus alterius potentiae ab intellectu, sed nullus actus etiam imperatus si est intellectus, est alterius potentiae ab intellectu, ergo nullus actus intellectus est praxis, & si imperetur, probatur ma. Quia Philosophus. 3. de anima t. 49. dicit intellectum extensione fieri practicum, extendere autem est ut bene notat Pontius hic q. 8. quasi extra se tendere quod stando in actibus intellectus nequaquam verum esset, cum potius diceretur intra se tendere, quod si voluisset Philosophus aequae facile fuisset ipsi dicere intellectum intensione fieri practicum; Confirmatur? Quia eodem modo se habet intellectus in ordine ad speculationem, sicut voluntas ad praxin, sed nullus actus voluntatis est speculatio, ergo nullus actus intellectus erit praxis, quia tantum deberet esse praxis quia ab alio dirigeretur, sed etiam actus voluntatis saepius a se invicem diriguntur, nec tamen qui dirigit est speculativus, ergo nec actus intellectus licet directus ab alio erit praxis, consequenter debet semper esse actus alterius potentiae ab intellectu.

**Dices** Ex conclusionis probatione patet nullum esse hujus dicti & asserti fundamentum potius quam quod Philosophus dixerit intellectum extensione fieri practicum, sed hoc axioma apud Philosophum non invenitur, ergo ruit totum argumentum, vel omnia arbitrari dicuntur. **Responsum.** negando ma. nam fundamentum supra attuli, & licet defacto in libris Aristotelis hoc axioma non reperitur, forte per incuriam & negligentiam Typographorum omisum est, nam antiqui omnes tanquam Aristotelis citarunt, ut Scotus. D. Thomas &c. Albertus Henricus &c.

**Instabis** Admissio hoc axiomate tanquam Philosophi, potest illud sufficienter salvari per hoc quod unus actus tendat in alium suum actum illum dirigendo, per hoc enim fiet extensione practicus, verum tamen **Responsum.** hoc non esse proprie extra se tendere sed intra se, & propter hoc nego hoc ad praxin sufficere, nam sicut improprie diceret aliquis me domo exire, si ego ex cubiculo uno in aliud aequum; honestum me transferrem, ita quoque improprie dicit aliquis intellectum extendi, seu extra se exire per hoc quod ex uno, aut per unum suum actum in alterum tendat actum. Ex hac replica oritur ut

**Probetur Conclusio secundum.** Si praxis non esset vel non esse deberet alterius potentiae ab intellectu nulla daretur scientia speculativa & omnis esset practica, sed hoc non est dicendum ergo, prob. ma. Quia secundum Adversarios sufficit quod unus actus intellectus dirigatur ab altero actu intellectus ad hoc ut actus directus, seu regulatus sit praxis, sed assensus conclusionis scientifica semper dirigitur ab alio actu intellectus, distante conclusionem sic vel sic inferendam, ergo, mi. probatur quia conclusio scientifica distinguitur a iudicio vel saltem ab apprehensione qua syllogizans concipit talem conclusionem esse inferendam sic vel sic. Et hoc est fortissimum argumentum Scotistarum quod convincit nullum actum in-

VI.

VII.

tellectus esse practicum, sed omnem esse speculativum. Attamen.

VII.

### Arguitur Contra Conclus.

Omnis actus regulatus à notitia practica & imperatus à voluntate est praxis, sed multi actus intellectus regulantur à notitia practica & imperantur à voluntate, ergo erunt praxes, Major est Scoti supra; ubi docet actus aliarum potentialium à voluntate imperatos esse praxes: minor prob. actus studendi & speculandi possunt imperari intellectui à voluntate dum efficaciter mandat ut studeas, volo ut naturam humanam speculeris, quo imperio posito sequitur dictamen in intellectu dicendo, nunc est studendum, nunc est speculandum, quia sic voluntas imperat ergo. Respondet Smising, Antonius, Andreas Rhada, Vulpes, non omnem actum à voluntate imperatum esse praxin, sed tantummodo illum qui est actus alterius potentie ab intellectu: Sed hæc responsio petit principium eum conclusionem pro solutione objectionis ponat. Secundo Respondet Cavellus actum intellectus imperatum à voluntate esse praxin, & si dicas praxis secundum Scotum debet esse alterius potentie ab intellectu, sed actus imperatus non est alterius potentie ab intellectu, ergo, tunc responderet nego mi. & dicit illum actum esse alterius potentie ab intellectu, quia dicit ipse est voluntatis non quidem elicentis, sed imperantis & hæc responsio licet bona videatur, & ut talis approbetur à Fabro Licheto, Bargio, & aliis, melius tamen mihi videtur responderi posse actus intellectus imperatos esse praxes late sumendo praxin, concedo, strictè sumendo, nego, & ideo quando Scotus q. 4. prologi definit praxin stricto definivit modo, non tamen voluit actus intellectus ab omni ratione praxis excludere, cum illi actus & dirigibiles & laude & vituperio digni sint. Sed

**Instabis,** Scotus dicit actus imperatos intellectus non esse praxes, ergo: prob. ant. quia hæc verba habet: cum igitur dicitur intellectio est imperata à voluntate, ergo est praxis, non sequitur, sed, vel est praxis, vel practica. R. hæc verba teste Mastro & Pontio difficillima esse quæ varii vario explicant modo, breviter tamen dico Scotum velle non sequi, esse praxin strictè sumptam, sed sequi esse praxin largo modo sumptam. Veruntamen.

**Urgebis** Interrogando quomodo ergo sequitur vel est praxis vel practica? ex hoc enim sequi videtur actus intellectus imperatos non modo esse praxes, sed etiam esse notitias practicas R. plus quam decem esse ad hunc Scoti passum responsiones fat difficiles, cum Mastro tamen R. breviter ita se rem habere ut actus intellectus imperati aliquando praxes, aliquando verò practica sint, praxes sunt quando imperat voluntas intellectui aliquam speculationem, quæ regulata & laude vel vituperio digna est. Practica notitia actus intellectus imperatus est, quando voluntas intellectui imperat actionem aliquam non directam, nec laude, vel vituperio dignam, quales actiones voluntas bene imperare potest, quare enim voluntas non possit imperare intellectui ut speculetur Syllogismum debere constare tribus terminis in modo & figura

benè dispositis, quæ actio intellectus nullo modo praxis erit, sed benè practica, quia directiva praxeos, & hæc esse mentem Scoti non obscure ex ejus verbis apparet; quando enim dixit non sequi quod actus intellectus praxes sint, subdit, sed sequitur, ergo vel est praxis vel practica; & reddens rationem ait: ipsa enim nata est denominari quasi accidentaliter à praxi ad quam extensibilis est, non autem est terminus talis extensionis, ecce quod loquatur de cognitione quæ est extensibilis, scilicet directiva & regulativa praxeos.

### Ut ergo resolvam quæstionem:

**IX.**  
Duplex est finis disciplinarum.  
Ante Conclusionem notare oportet primo In disciplinis organicis, ex quarum numero est Logica duplicem esse finem intrinsecum & extrinsecum Intrinsecus finis est qui attingitur ab ipsis facultatibus, extrinsecus est qui ab aliis facultatibus, attingitur sic verbi gratia artis frœni factoria finis intrinsecus est frœnum, extrinsecus qui non à frœnifactoria, sed ab equestri attingitur est directio equi, unde ars finem extrinsecum non attingit nisi objective tantum, occasionaliter & valde remotè, sic etiam Logica intrinsecus finis est dare regulas bonæ divisionis, definitionis, & argumentationis, qui finis scilicet ipsa argumentatio, divisio & definitio, quia non attingitur actu exercito ab ipsa Logica docente, sed abutente, idè actualis & exercita definitio est Logicae docentis finis extrinsecus, quia non attingit exercitam definitionem elicitive, sed tantum occasionaliter & objective, seu idealiter, finis autem intrinsecus ut notat Scotus q. 3. Prologi duplex est, formalis & objectivus, vel ut alii loquuntur quo & qui? objectivus est qui objicitur alicui arti, seu facultati, sic in frœnifactoria finis objectivus, seu qui est ipsum frœnum; finis intrinsecus formalis, seu quo est perfecta cognitio ipsius frœni, & universaliter perfecta cognitio sui objecti in quacunq; facultate, in Logica verò finis quo, seu formalis intrinsecus in sua latitudine, est cognitio modi, quo diriguntur omnes & singulæ operationes intellectus, finis verò qui & objectivus, est ipse modus cognitus. Notandum 2. Cognitionem speculativam, differre à cognitione practica ex hoc, quod speculativa finis sit veritas, practica verò opus, seu ex hoc quod practica ad praxin, speculativa verò ad objectum, ut speculabile, id est, ut merè contemplabile & cognoscibile ordinatur, unde non solum diversimodè denominant proprias cognitiones, sed etiam diversimodè dividunt illas, nam circa objectum speculabile cognitio speculativa denominatur vera, si conformis est illi, & falsa, si sit difformis, cognitio verò practica non dicitur vera vel falsa, sed bona & mala, unde cognitio directæ ab alia cognitione, seu à regulis logicis malè diceretur vera vel falsa, nisi valde improprie, quia hæc dictiones cognitionis practicae & praxis propriae sint.

**X.**  
Multa sententia circa hoc, an Logica sit practica vel speculativa?  
His notatis Circa id quod principaliter in quæstione queritur quadruplex est sententia, Prima docet Logicam esse scientiam nec tamen esse practicam vel speculativam, sed esse instrumentum ad assequendas utrasque, ita olim sensit noster Gerardus de Odonis apud Fabrum

Fabrum & Maltrium & nunc sentit Zabarella lib. 1. de natura Log. cap. 11. & 12. Petrus Niger q. 14. a. 6. quæ opinio modò communi- ter rejicitur, tam quia Aristoteles 3. de an. cap. 10. intellectum adæquatè dividit in practicum & speculativum, & 6. Met. cap. 1. scientiam in practica & speculativam, tum quia cognitio practica & speculativa contradictorias ratio- nes præ se ferunt, vel enim sistit in sola contem- platione veritatis, & sic est speculativa, vel non sistit, sed ordinatur ad opus, & sic est practica, nec datur medium neq; fingi potest absq; eo quòd quæstio evadat de nomine. Nec authori- tas Philosophi 1. Top. 9. & 12. à Zabarella adducta videlicet Tria esse problematum ge- nera, alia speculativa, alia practica, alia ex his adminiculantia patrocinatur, quasi per ultima verba intelligatur Logica, quæ nec practica sit nec speculativa, nam Aristoteles per problema- ta practica & speculativa intellexit scientias practicas & speculativas reales, per adminicu- lantia autem intellexit scientiam organicam ministerialem, scilicet Logicam: unde non negavit eam esse aut practica, vel speculativam scientiam, sed tantum esse practicam aut specu- lativam realem. Secunda sententia est Logicam esse practicam & speculativam simul, ita Vasquez 1. p. disp. 8. c. 5. Suarez disp. 44. Met. in fine, Rubius, Hurtadus, Lovanienses, Toletus &c. Tertia sententia est, Logicam esse simpliciter practicam. Ita tenet Venerabilis Inceptor cum suis, Gabriel q. 11. Gregorius q. 5. art. 2. Au- reolus, & alii antiqui ex Recentioribus, Fonse- ca 2. tract. cap. 3. q. 2. sect. 4. Conimb. q. 4. proem. Averfa, Arriaga, disp. 3. sect. 5. Quarta deniq; sententia dicit Logicam purè esse specu- lativam, ita Scotus, Illustrissimus Hugo, Cavel- lus, Maltrius, Faber, Pontius, Lichetus & omnes Scotiste communiter, ex Thomistis Complu- tentes; de mente D. Thomæ non clarè constat, licet ad hanc partem, ut loquuntur Connimbricenses, magis accedere videatur, cum Dialecti- cam nunquam practicam nominet, nec inter practicas numeret, & in opusculo super Boe- thium de Trinit. cap. 3. art. 1. asseruerit, Et si Logica non contineatur sub Philosophia ut pars principalis, contineri tamen prout contem- plationi instrumenta suppediat. cum qua sen- tentia ad quæstionem tandem Resolutivè

qua licet utriq; actioni & contemplationi sit necessa- ria, maxime tamen contemplatio perfectionem sibi vindicat veritatis, idèd hæc tripartitio non est contra- ria illi distinctioni quæ intelligitur, omne studium sa- pientie in actione & contemplatione consistere, ita D. Augustinus in terminis, cujus verba sic clara mihi videntur, ut immeritò indignetur Nebri- dius contra aliquem Philosophum, qui hunc eundem textum citavit ad demonstrandam Lo- gicam esse scientiam speculativam, nam præter- quam quòd congruè explicari posset, veluti ex- plicui supra Aristotelem, ubi dixit esse tria problematum genera, speculativa nimirum, practica, & ex his adminiculantia, clara est ejus mens dum enim dicit tertiam rationalem quæ verum à falso determinatur statim subdit quæ licet &c. quod clarum est ex connexionem gram- maticali, totum quod sequitur ad Logicam re- ferri, ita ut ejus sensus sit, quòd licet organica sit disciplina Logica, naturali & morali præmit- tenda, cum sola tamen contemplationem parti- cipat rationem speculationis, & idcirco subdit hanc tripartitionem non esse contrariam illi distinctioni, quæ Philosophia in naturalem di- viditur & moralem, cum sub naturali comprè- hendatur, eò quòd speculativa sit, quæ licet rea- lis non sit, tamen est rationalis non propterea dici nequit quin comprèdendi possit sub naturali ut dixi supra. Deniq; licet admitteretur quòd intendit Nebri dius, nimirum sanctum Doctorem loqui de Physica quasi Physica sibi perfectio- nem vindicaret veritatis, adhuc non probaret suum intentum scilicet quòd Logica sit practico speculativa, imò contrarium, nam sensum face- ret quòd sola contemplatio vindicaret sibi Lo- gicam, quæ per encomium vocatur perfectio veritatis, sicut, libro 3. contra Academicos cap. 17. nominat eam Philosophiæ formatricem judicem & perfectricem, & lib. 11. Cit. cap. 15. formam scientiæ, rationem indagandæ veritatis, scientiam &c. quos textus si diligen- tius Nebri dius examinasset, nunquam mentem sui sancti Institutoris & Magistri in tantum in- torsisset, cum tamen ipse fateatur postmodum magis contemplativam esse quàm activam. Probatur secundo Ex D. Bernardo lib. 5. de Considerat. cap. 2. ubi dicit *speculativa* (id est cognitio) *Est consideratio se in se colligens, sed Lo- gica est consideratio se in se colligens, seu nul- lum opus ad extra relinquens, ergò Logica est speculativa.*

NEC

NEC

XI.  
Lecturæ Lo-  
gicæ esse  
præcipuum po-  
sitionis

**Dico 3. Logica est scientia purè speculativa.**

Ita Authores quartæ sententiæ est etiam D. Augustini lib. 8. de Civit. Dei cap. 4. ubi docet Logicam esse contemplativam & partem Philosophiæ, quem locum Nebri dius à Mündelheim vidisse non debuit, cum tamen sic ab Authoribus pas- sim citetur D. Aurelius, unde ille adfert aliam auctoritatem ejusdem sancti Doctoris, ex qua deducere intendit Logicam partim esse practi- cam, partim speculativam, verum tamen videtur mihi eadem auctoritas favere magis conclusio- ni propositæ, nam ut eundem referat loco cita- to post multa de partitione Philosophiæ dicta addit, Proinde Plato utrumq; jungendo (studium nimirum sapientiæ activæ & passivæ) Philoso- phiam perfectissimè laudatur, quam in tres partes distri- buit, nam moralem, quæ maxime in actione versatur, alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est, tertiam rationalem, quæ verum determinatur à falso,

**Probatur Conclusio 3. tum a-**

uthoritate Aristotelis qui teste Laertio in ejus vita divisit Philosophiam contemplativam in Physicam & Logicam, tum ex Scoto q. 4. Pro- logi ubi postquam probavit praxin debere esse actum alterius potentiæ ab intellectu tanquam absurdum infert, quòd Logica esset practica, verba ejus sunt; Et si dicas unum actum intel- lectus extendi ad alium (scilicet alium actum intellectus) directum per illum, non propter hoc secundus actus erit praxis, ut modò loqui- mur, nec primus erit cognitio practica, quia aliàs Logica esset practica &c. hæc Scotus in quibus supponit, licet non probet Logicam non posse esse practicam. Probatur Conclusio 3. Ratione 1. scientia practica adæquatè dividi- tur in activam & factivam, sed Logica non est activa,

XII.

activa, nec factiva, ergo Logica non est practica, probatur I. p. Minoris, illa est factiva scientia, quæ relinquit post se opus aliquod externum, sed Logica non relinquit post se aliquod opus externum, siquidem Syllogismus non est opus externum, sed internum manens in intellectu, ergo. probatur etiam 2. p. mi. ex Philosopho, nam secundum illum activa versatur circa actiones quarum principium est electio, sed clarum est electionem esse actum voluntatis, & consequenter Logicam non posse esse activam, quia est de actibus intellectus. Nec valet dicere cum aliquibus, non esse opus scientiam agentem de electionibus esse practicam, cum posset speculative agere de electionibus, quia esto verum sit quod possimus agere de electionibus speculative, quantum ad veritatem, seu ut cognoscamus, & hoc merè per accidens, non tamen possumus agere speculative de electionibus quantum ad praxin, seu opus quod nos bonos reddat, cum talis actus primò liber sit, secundò laude, vel premio dignus esse debeat, quales sunt omnes actus morales.

XIII.

**Probatur Conclusio** ratione secundò: Finis practicae scientia opus est, speculative veritas, sed finis Logicae est semper veritas, ergo Logica est semper speculativa, probatur mi. quia si aliquando Logica haberet pro fine opus tunc maximè hoc fieret, quando agit de Syllogismo, sed nec tunc est, quia finis Syllogismi est veritas, ideò enim facimus Syllogismos ut per illos veritatem adipiscamur. Denique si Dialectica non esset speculativa, nullam in rerum natura scientiam habebimus speculativam, sed hoc non est admittendum, ergo nec valet dicere, ut dicunt aliqui ad scientiam practicam sufficere, ut unum actum intellectus dirigat per alium suum actum, bene vel male eliciendum, hoc inquam dici nequit, quia nulla est conclusio scientifica, quantumvis speculativa quam non precedat aliquis actus intellectus dictans ipsam bene vel male eliciendam, & hoc tamen non obstante, Adversarij admittunt dari multas conclusiones speculativas, ergo hoc non sufficit.

XIV.

**Dices** Saltem actus intellectus imperatus à voluntate est praxis & alterius potentia actus ab intellectu, quia est voluntatis, ergo licet Logica consideret actus intellectus, adhuc erit practica. Sed contra est, Quia Logica agit de actibus intellectus secundum se, & non ut imperantur à voluntate, quòd si verò quandoq; tales actus à voluntate imperentur est merè per accidens, & voluntati quòd imperet, & actibus intellectus quòd imperati sint, nam esto non imperarentur, adhuc intellectus de eis ageret secundum se, Adde quòd non sufficiat ut actus intellectus sit quomodocumq; actus alterius potentia, sed quòd sit propriè alterius potentia etiam quoad subjectionem, id est, ne intellectus sit subiectum illius.

**Instabis,** Ideò ars domi factoria dicitur practica, quia dirigit constructionem domus à voluntate imperatam, ergo Logica dirigens constructionem Syllogismi faciendi à voluntate imperata, erit scientia practica. R. distinguendo ant. ideò dicitur practica, quia diri-

git &c. quæ directio est actus alterius potentia ab intellectu concedo: sed nego ant. & consequentiam, nam voluntas imperando constructionem Syllogismi non dirigit actum alterius potentia ab intellectu. Hinc

**Ultimò Probatur Conclusio**

XV.

Cum Pontio, Logica in nulla parte dirigit actum alterius potentia ab intellectu, quia in omnibus dirigit actum intellectus, ergo secundum nullam partem erit practica, sed si non est practica, debet esse speculativa ergo. Sed

**Arguitur I. Contra Conclusionem**

XVI.

congeredo plures autoritates Aristotelis, nam 1. Topicorum Logicam nõ vocat practicam vel speculativam, secundò 6. Metaph. cap. 1. speculativam dividit in Mathematicam, Phisicam, & Metaphisicam, nullam faciendo mentionem Logicae. tertio 1. Metaph. cap. 2. dicit scientiam speculativam esse propter se, sed Logica non est propter se, sed propter alias scientias, ergo. quarto 6. Metaph. distinguit speculativam à practica per hoc, quòd speculativa spectetur suum objectum, practica verò faciat, sed Logica facit suum objectum nempè Syllogismum, ergo. quinto 1. Rhet. cap. 1. ait, Dialecticam intentam ad opera quæ bene vel male fieri possunt, & 1. Priorum 2. ait Logicam non solum considerare debere generationem Syllogismi, sed etiam faciendi potestatem habere. Verum breviter ad has omnes autoritates R. & ad primam quidem & secundam dico eas esse ab autoritate negativa, & ideò nil sequitur, argumentum enim ab autoritate in naturalibus scientiis nihil concludit, non enim sequitur, non legitur quòd Aristoteles habuerit duas auriculas, ergo non habuit, & similiter ad tales autoritates responde. Ad 3. & quartum locum dico Aristotelem fuisse locutum de scientiis speculativis principalioribus, qualis non est Logica, & quando dicit ad scientiam speculativam spectare ut consideret suum objectum, verum asserit, dum verò inferitur Logicam facere suum objectum scilicet Syllogismum, tunc id nego, nam Logica docens non facit, sed utens ut sepe dixi, quòd verò aliqui hinc inferunt futurum Logicam futuram perfectiorem scientiis practicis, quòd tamen fat absurdum videtur, R. verum id esse si consideretur modus quo in suum objectum fertur, non verò eam absolute spectando, unde tantum verum & absolute loquendo de scientiis speculativis principalioribus, quòd praesent practicis. Ad quintum locum dico, Aristotelem intelligendum esse ita, ut per bene vel male fieri non intelligat moraliter, sed speculative fieri, nec vel male sumit Aristoteles in propria & practica acceptione, ad autoritatem verò ex 1. Top. desumptam dico, quòd velit quòd etiam debeat habere faciendi potentiam suo modo, scilicet objective & idealiter, quòd non est propriè facere, sic verbi gratia etiam idea dicitur concurrere ad effectiorem domus, non propriè, sed tantum idealiter.

**Arguitur 2. Ratione,** Estq; potissimum fundamentum contrariae sententia; Habitus dirigens actus voluntatis est practicus, ergo & habitus dirigens actus intellectus erit practicus, antecedens concedunt omnes, consequentia

XVII.

quentia est optima. Verumtamen R. negando consequentiam & paritatem, disparitas est, quia actiones voluntatis sunt actus alterius potentie ab intellectu, non sic actiones intellectus. Sed

**Instatur** Prudentia est habitus practicus, quia ipsa est directiva omnium virtutum, & dirigit etiam operationes intellectus aliquas que ad virtutes pertinent, ergo nulla solutio quod debeant actus esse alterius potentie ab intellectu. Sed R. dist. ant. Prudentia semper est habitus practicus stricte dictus nego ant. laxè acceptus concedo, Imò universaliter concedi potest, operationes intellectus, ut à prudentia procedunt habere rationem praxis, quia ut fit dependent ab electione voluntatis, & sunt capaces erroris practici, ac proinde imputabiles in genere moris, non habent se autem ita ut dirigitur à Logica, quia non cadunt sub directionem Logicæ nisi ut sunt capaces erroris speculativi, scilicet falsitatis, & ideo non sunt praxæ, sed merè speculationes. Attamen contra hanc solutionem alioquin bonam

**Urgetur cum Vasquez.** Tum quia etiam in operibus Logicæ principium est electio, quia liberè fiunt, & voluntas movet intellectum ad suos actus sicut & ceteras potentias, ergo non solum Logica dirigit actus suos in genere speculationis, sed etiam in genere moris, & sic verè erit scientia practica, quia versatur circa opera quorum principium est electio, tum quia Aristoteles supra 1. Rhet. 1. id clarè insinuat & exprimit. Sed R. hanc repliam non urgere, quia si aliquid probat, probat quoque nullam esse scientiam speculativam, siquidem omnes actus cujuscunque scientie fiunt vel saltem fieri possunt à nostro intellectu liberè, & mediante motione voluntatis, cum igitur dicit Aristoteles scientiam activam versari circa ea quorum principium est electio, intelligit de operationibus, quibus per se competit procedere ab electione, & tales sunt actiones virtutis moralis, omnes enim tales aut sunt elicti, aut imperati à voluntate ut operationibus intellectus, ut à Logica diriguntur merè per accidens convenit libertas, seu voluntatis imperium, quia antecedenter ad quamcunque voluntatis imperationem potest intellectus errare in suis actibus, & per regulas quas tradit à Logica dirigi, & ideo actus ejus quatenus à Logica diriguntur non sunt praxæ. Ad Aristotelem responsam jam est supra. Fateor tamen quòd Logica possit esse practica & speculativa; practica, quia dirigit operationes intellectus, speculativa in quantum demonstrat passionem de suo objecto, tam totali, quam partiali, imò absolute practica, nec hoc esset contra Scotum, quia ipse fateatur actus intellectus imperatos à voluntate esse praxæ, extendendo nomen praxæos.

**QUESTIO VII.**

*De Necessitate & utilitate Logica.*

**Logicam** Ad alias scientias acquirendas plurimum esse utilem res est indubitata, quod patet ex multis encomiis quibus ab Authoribus passim afficitur, ut etiam teste Mastrio Ars artium, scientia scientiarum, ad omnia me-

F. Amanq̃ Hermann Logica.

thodorum principia, viam habens appelletur, quod pluribus Magni Augustini testimoniiis confirmatur libro 2. Doct. Christ. cap. 31. etenim ait, *Ad omnia genera questionum que in sacris literis sunt penetranda & dissolvenda, disputatio scientia plurimum valet, & cap. 37. Illa verò conclusio & definitio & divisio pars plurimum intellectorem juvat.* Lib. 2. contra Crescon. cap. 2. *Sicut non curo utrum ea ipsa disputandi disciplina Dialectica vocetur, curo tamen quantum valeo nosse ac posse disputare, hoc est veritatem à falsitate in loquendo discernere, quia hoc nisi curavero periculosè errabo.* & lib. 1. cont. eundem cap. 13. *Quid est aliud Dialectica, quam peritia disputandi, quod ideo aperendum putavi, quia etiam ipsam mihi obicere voluisti quasi Christianæ non congruat veritati, & ideo me Doctores vestri velut hominem Dialecticum merito fugiendum & cavendum potius quam refellendum, revincendumq̃ censuerunt & cap. 15. Cum enim nunquam desint qui per insidiosas captiones captant in eorum assensiones, ut ex eorum responsionibus concludant, unde illos vel in aperta falsitate deceptos rideant, vel occultam falsitatem deceptis persuadeant, Logica ad hoc inventa est.* Ex quibus testimoniiis satis clarè liquet, quantæ utilitatis sit Logica. Verumtamen exinde non colligitur etiam esse tantæ necessitatis quin sine ea alias haberi possint scientiæ, hinc quaeritur quàm necessaria ipsa sit, & sermo est de Logica artificiali (nam naturalem esse simpliciter necessariam unanimes est consensus, quotiescunque etenim ex præmissis aliqua consequentia deducitur necessarium est, ut semper iudicium vel formale, vel virtuale, de bonitate consequentiæ intercedat, quod iudicium per Logicam fit naturalem. Notandum ergo *Necessarium* impræsentiarum dupliciter sumi posse, uno modo *absolute & simpliciter* sine quo alterum hic & nunc simpliciter haberi non potest, alio modo *secundum quid* & est illud quod licet non sit necessarium simpliciter ad esse, est tamen necessarium ad melius esse. *Necessarium* simpliciter duplex est, physice & moraliter, physice necessarium est illud sine quo aliquid esse vel fieri non potest per naturæ vires aut secundum ordinem naturæ, sic ut quis acquirat calorem, debet esse virtus calefactiva & applicatio: necessarium moraliter, est sine quo aliquid quidem fieri posset, sed non sine magna difficultate; sic dicitur homo necessario incidere in venialia peccata, seu esse impossibile ei illa vitare, quibus præmissis ad quaestionem

**Dico I.** Logica non est absolute & simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas. Hæc est

Scoti. 2. Met. 12. Et etiam D. Augustini. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 37. ubi postquam dixisset Logicam plurimum intellectorem juvare, subiungit *quanquam plerumque accidat ut facilius homines res eas assequantur quam talium præceptorum nodissimas & spinosissimas disciplinas, ex quibus verbis clarè constat eam non esse absolute & simpliciter necessariam.* Item Clemens Alexandrinus Logicam comparat sepi, *qua licet arboros fructuque non egeant ut sint, per illam tamen tuti sunt.* Prob. 2. Ratione; Ut scientiam aliquis sibi comparat satis est quòd principia penetret, indèque per naturales formas differendi conclusiones deducatur.

**II.** Logica non est absolute necessaria ad alias scientias.

*Necessarium duplex.*

K cat,

cat, sed hoc sine Logica fieri potest, ergo: mi-  
quia ad principia nota nulla opus est arte, nam  
si aliquis deduceret hanc conclusionem; Caput  
est minus toto corpore, ex illo principio:  
Omne totum est majus sua parte, & omnis pars  
est minor suo toto, sed caput hominis est pars  
corporis humani, ergo est minus suo toto scilicet  
corpore, evidenter concluderet sine eo quod  
adhiberet illas regulas Dialecticæ artificialis;  
Per hoc tamen negare non intendo, quod sine  
omni demonstratione scientia haberi possit  
perfecta, sed tantum sine omni demonstratione  
facta per regulas Logicæ, quod autem sine arti-  
ficiali demonstratione naturalis haberi possit,  
convincit illa ipsamet demonstratio habita de  
in fallibilitate regularum Logicæ, antequam  
haberetur Logica artificialis. Quando autem  
dicit Aristoteles, nullum rem quempiam perfe-  
ctè cognoscere nisi sciat se scire, adeoque neces-  
sarium videtur, quod scire debeat se demonst-  
rationem habere, quod tamen nemo novit nisi ad  
regulas Logicæ reflectat, non est intelligendus  
ita quasi deberet habere actum reflexum, quod  
regulas cognoscat bonæ demonstrationis, sed  
solum quod requiratur, ut talis sciens perfecte  
præmissas penetret, & hoc patet, quia alioquin  
daretur processus infinitum, nam idem potero  
dicere de cognitione illa reflexa, & sic de aliis.  
Deinde sicut credere aliquis potest absque eo  
quod credat se credere, ita & scire quamvis non  
reflectat se scire.

III.  
Logica est se-  
cundum quid  
necessaria.

DICO 2. Logica est secundum quid necessaria  
ad alias scientias acquirendas. Hæc est Scoti supra.  
D. August. ex dictis in introductione ad  
questionem. D. Bernardi Serm. 36. in Cantic.  
Cant. ubi dicit: *Vides quia non probat multa scien-  
tiam si sciendi modum nescierit*, qui textus fat clarè  
Logicam, quæ est modus sciendi, necessariam  
esse concludit, quod quamvis pariter moraliter  
exponi possit, optimè tamen applicatur Logi-  
cæ, quam nescire multa scientiam non juvat ad  
evitandas captiones; sic D. Aurelius, dum lib.  
2. Doct. Christ. cap. 31. ait, *sunt enim multa que  
appellatur sophismata, falsæ conclusiones rationum,  
& ita plerumq; veras imitantes, ut non solum tardos  
sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos deci-  
piam; Proposuit enim quidam dicens ei cum quo lo-  
quebatur, Quod ego sum tu non es, at ille consensit, ve-  
rum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidio-  
sus, ille simplex erat, tunc iste addidit, ego autem sum  
homo, quod cum ab illo accepisset conclusit dicens, tu  
igitur non es homo. Vides quomodo non probet  
multa scientiam, nisi etiam modum sciendi sciat,  
quæ viâ, quæq; ratione evadere posset fallitates  
& inquirere discernendo veritatem.*

Arguitur in Contra Si Logica ef-  
set secundum quid necessaria ad alias scientias  
acquirendas, erit etiam necessaria ad acquiren-  
dam se ipsam, sed hoc est inconveniens ergo;  
prob. minor, nam idem non potest esse in actu  
& in potentia, sed tunc esset in actu & potentia  
simul, ergo prob. mi. esset namque in actu, quia  
per ipsam quereretur Logica, & esset in po-  
tentia respectu Logicæ acquirendæ. R. concedo  
ma. & negando minorem, nam verè sibi  
ipsi inservit Logica per applicationem unius  
partis ad aliam, nam illa pars quæ agit de ter-

minis, inservit parti quæ agit de enuntiationi-  
bus, & hæc illi parti quæ agit de Syllogismo,  
nec est in convenientibus quod sibi ipsi inserviat,  
nam lumen quod est medium necessarium ad  
quodlibet videndum, est etiam sibi ipsi neces-  
sarium ut videatur: Ad probationem distinguo  
ma. idem non potest esse in actu & in potentia  
respectu ejusdem concedo ma. respectu diver-  
sorum nego ma. tunc autem Logica non esset  
respectu ejusdem, sed respectu diversorum, sic  
ut idem calor est in actu respectu sui, & in po-  
tentia in quantum potest intendi, sic Logica  
esset in actu secundum suas regulas, in potentia,  
quatenus illis utendo posset acquirere ma-  
gis perfectam regulam. Sed

Instatur Eset in actu & potentia res-  
pectu ejusdem, ergo nulla solutio, prob. ant. quia  
illæ regulæ quæ supponuntur in actu vel sunt  
acquiritæ per alias Regulas vel non; si per  
alias, ergo non possunt supponi esse in actu ad  
acquirendam Logicam; si non sunt, ergo Logi-  
ca non est necessaria ad se ipsam acquirendam,  
quia illæ regulæ sunt Logicæ artificialis, atq;  
adeo in congruè additur alterum distinctionis  
membrum, quod in serviant ad magis perfectam  
Logicam acquirendam; nam magis perfecta  
Logica est qualitas Logicæ, non verò ipsa Lo-  
gica in substantia de qua controvertitur. Sed R.  
negando ant. ad ant. prob. dico illas regulas  
quæ supponuntur actu esse, non fuisse acqui-  
sitæ per alias regulas artificiales, sed per natura-  
les differendi modos, unde verum est Logicam  
fuisse acquisitam sed etiam omnes suas partes  
per artificialem, exceptâ illâ, quæ nō artificiale,  
sed naturale præsupponit instrumentum, ad quod  
requirebatur alia Logica artificialis, sed erat  
sufficiens ad adjuvandū acquirere alias partes.

Urgetur Si una pars Logicæ potuit ac-  
quiri sine alia, ergo etiam Physica acquiri po-  
terit sine Logica: prob. conseq. quia quemad-  
modum illa pars Logicæ conducebat ad acqui-  
rendam Logicam totam, ita & pars Physicæ  
conducere poterit ad acquirendam totam Phy-  
sicam, ergo Logica non erit necessaria. R. ne-  
gando consequentiam cum probatione, dispa-  
ritas est quia una pars Logicæ potest conducere  
ad aliam partem Logicæ dupliciter, primò qua-  
tenus notitia unius deservit ad notitiam alte-  
rius propter connexionem objectorum, secun-  
dò quatenus objectum unius partis habet ratio-  
nem instrumenti ad inquirendam cognitionem  
alterius partis, sive neantur in subiecto seu ob-  
jecto, sive non, una pars verò Physicæ in servit  
alteri parti tantum primo modo, Logica verò  
utroq; sed claritatis gratiâ Nota, quod quam-  
vis alia scientiæ habeant suas particulares defi-  
nitiones, divisiones, in quantum tamen con-  
sideratur earum certitudo & veritas omnes ad Lo-  
gicam pertinent, nempe ex regulis & præceptis  
traditis de definitione, & divisione, &c. In Lo-  
gica.

Restat adhuc probanda Conclusio ex ra-  
tione, quod ex præaccelerata Argutione præ-  
termisi supra, sic. Quilibet artifex expedi-  
tor est ad opera artis cum parata habet in-  
strumenta, quam cum ipsis destituitur, sed  
sciendi instrumenta sunt formæ differendi,  
ergo

ergo intellectus qui sciendi artifex est, multo expeditior atque ad discendum promptior evadit si praefatas differendi formas a Logica obtineat. Deinde ignari Logicae in plurimos labi errores experientia constat, & traditione Aristotelis 4. Met. t. 8. ubi ait, omnia Dialectica addiscantur opus est. Ita etiam Tullius 3. de finibus inquit, sine Logica quemvis arbitramur a vero adduci falliq; posse. Sed

per se dirigibiles in quacunq; materia, ergo Logica ordinatur ad omnes & singulas operationes dirigendas; prob. ant. quia qualibet separatim potest participare proprium errorem, quia si implicaret dari tertiam operationem, adhuc darentur praecipua de secunda, universalem verbi gratia negativam converti simpliciter &c. Et si implicaret secunda, adhuc darentur praecipua de prima verbi gratia quod ad distincte quidditatem apprehendendam oporteat concipere genus & differentiam objecti, quamvis una magis indigeat directione quam alia. Prob. secunda pars, quia quidquid in sua Logica Aristoteles tradidit fecit in gratiam Syllogismi, ut ipse testatur Doctor, ergo adequatus ejus Logicae finis erit directio Syllogismi: ant. patet ex dictis, tenet etiam consequentia; Ergo sit hujus quaestiones & etiam disputationis finis, nam quod ab aliis hic pariter pertractari solet de unitate scientiarum, subalternatione, & similibus, cum sint omnibus scientiis communia, hic impertractata relinquo, & differo, usque dum egero de scientia in libris Priorum. Sit igitur finis

VI. Logicae

**Quaeres 1.** Utrum habitus Logicae immediate & Physice influat in actus aliarum scientiarum, seu quod idem est, utrum influat effectivè? R. negativè solummodo influat, directivè, tradendo regulas, hinc etiam pro fine hujus quaest. & totius disp.

VII. Logicae

**Quaeres 2.** Quinam sit finis Logicae? R. quod finis Logicae in tota sua amplitudine sit dirigere omnes & singulas operationes, in quacunq; materia, seu probabili seu necessaria, si vero consideretur ut eam Aristoteles tradidit ejus finis est directio tantum tertiae mentis operationis. Resolutio est Scoti 1. Priorum. q. 2. §. Quantum ad tertium. Probatur quoad 1. p. Quia omnes tres operationes sunt

DISPUTATIO II. DE DISTINCTIONIBUS.

**H**anc materiam Antiquiores Scotista aliqui, qui etiam Formalista appellati fuerunt, ita fuscè tractarunt, ut novam scientiam inchoare potius visis fuerint cujus objectum esset formalitas, quam clarè doctrinam de distinctionibus proponere ex quorum prolixitate ortum est ut, Mastrius & Bellutus putant, quod plures etiam excellentis indolis à Schola Scoti perdidit Alumnos, & quotidie perdat, ut mirum sit quod in Schola Scotica tam fusa tractatio non tollatur & ab aliquibus veluti omnimò necessaria proponatur, Et licet Mastrius & Bellutus, antiquiores redarguant veluti superflue fufos, eadem censurà mihi tamen digni videntur, qui non contenti rem semel in Logica proponere, eandem materiam iterum in Metaphysica repetunt, asserentes se in Logica ea tantum proponere quae ad Logicos spectant, verum nec eandem materiam tradam hic inchoatè, aut hoc futurus operis imperfecti ut alibi repetere cogar; ideo eam ita expediam, quatenus nec superfluus nec inutilis videar, si igitur.

QUAESTIO I.

De Distinctione ut sic, in quonam formaliter consistat?

**Ante Resolutionem** Notandum 1.

Maximum esse discrimen inter distincta, diversa, differentia, & diversa, ac opposita; nam distincta illa dicuntur quae per negationem sui invicem vel realitèr vel formalitèr exprimuntur; diversa distinctioni superaddunt negationem unionis seu connexionis, unde quae sunt diversa sunt etiam distincta, non tamen e contra, quae sunt distincta sunt etiam diversa. Differentia superaddit rebus distinctis dissimilitudinem in natura, unde homo & brutum non solum distinguuntur, dividuntur, sed etiam differunt: Opposita verò sunt quae habent aliquam specialem inter se repugnantiam, ut patet ex summulis, & hoc maximè verum est, si omnia sumantur propriè & in rigore: nam frequentèr ab Authoribus ita accipiuntur ut coincidere nonnulla inter se existimentur.

**Notandum 2.** Distinctionem dicere duo: unum fundamentalitèr, alterum formalitèr, fundamentalitèr dicit ipsam rem quae est

F. Amandi Hermann Logica.

vel eadem vel distincta, formalitèr dicit formam, ratione cujus est eadem vel distincta, sicut se homo & lignum habent, quae per suas entitates fundamentalitèr distinguuntur; formalitèr verò per formam illis entitatibus superadditam à qua denominantur distinguuntur. Quae iterum duplicitèr accipi potest primò negativè, ut coincidit cum non identitate: nam distinctio propriè inter positiva extrema est, ut cum negationes propriè entia non sint, ita neq; propriè distinguuntur; quia licet inter ens & non ens maxima sit distinctio, nam opponuntur contradictoriè: tamen quia non fundatur in uno positivo extremo non dicitur positiva, sed negativa; secundò potest sumi positivè & sic est ratio positiva sive realis, sive rationis inter duo extrema positiva, quare privatio distinguitur ab habitu negativè non positivè, Hinc Trobeta in suis formalitatibus, teste Mastrio, dicebat, quod omnis distinctio sit non identitas, non tamen è conversò omnis non identitas sit distinctio, quia non identitas latius patet quam distinctio, cum etiam conveniat non enti, distinctio verò cum sit relatio positiva ut statim dicam, praesupponit extrema positiva, & convenit

tantum enti; ex quo deducit quod inter negationem & affirmationem, inter privationem & habitum, non potest intercedere distinctio, sed tantum non identitas; unde quod invenitur quod habitus distinguatur à privatione, & affirmatio à negatione, debet intelligi solum negativè quod etiam modò conceditur Titium, vel Cajum distinguere à Chimæra negativè, scilicet in quantum non est idem chimæra. His prænotatis controvertitur inter Authores utrum distinctio formaliter sumpta realis & propria consistat in aliquo positivo an potius in negativo. Circa quam materiam plures sunt & fuerunt sententiæ; vestigijs tamen Doctoris nostri inhaerendo

III.  
Distinctio  
consistit in  
positivo.

Dico I. *Distinctio proprie sumpta consistit in aliquo positivo.* Hæc est D. 2. d. 3. q. 1. & Probatur I. Si non consisteret distinctio proprie sumpta in aliquo positivo, deberet consistere in negativo ut farentur Pasquilius Joannes à S. Thoma & alii Recentiores passim qui contrariam sequuntur opinionem, sed distinctio non potest consistere in negativo, ergò consistet in aliquo positivo; ma. est Advers. probatur mi. Quia illa negatio identitatis convenit tam enti, quam non enti, distinctio verò tantummodo convenit enti ut dixi in Notabili secundo, ergò distinctio non poterit consistere in negatione identitatis, quia hæc magis latè patet quam distinctio. Probatur Conclusio secundo. Dissimilitudo præter negationem unitatis in qualitate dicit quid potissimum superadditum, ergò & distinctio præter negationem identitatis dicit quid positivum superadditum: ant. patet, quia negatio similitudinis inter album & nigrum non sufficit ad formalem demonstrationem dissimilitudinis inter illa, nam talis negatio reperitur etiam inter albedinem & chymæram, quia licet albedo non sit similis chymære, ac proinde negationem ipsius dicat, non tamen dicitur dissimilis illi sicut dicitur nigredini, ergò dicit aliquid præter negationem dissimilitudo, subsumo sed eodem modo se habet dissimilitudo & distinctio, nam sicut hæc opponitur identitati, ita illa opponitur similitudini, ergò etiam distinctio debet consistere in positivo. Confirmatur Conclusio I. Quia non identitas, non est formaliter distinctio, ergò non consistit in ea licet eam præsupponat: probatur ant. Quia non identitas in aliquo signo alicui competit, pro quo non competit ei distinctio, nam idem & non idem sunt contradictoria, idem autem & distinctum sunt contraria, sed oppositio contradictoria est prior quam oppositio contraria, cum hæc illam præsupponat, & per consequens potest alicui competere esse idem vel non idem prius, quam esse idem vel distinctum. Confirmatur 2. Quia si humanitas abstrahatur ab omni entis passione, & ab omnibus proprijs passionibus, certum est quod humanitas in tali abstractione & statu præcisionis non dicatur formaliter distincta à lapide, quia hic est status purissimæ essentiae, unde de ea in tali statu non possunt enunciari prædicata per se intrinseca & primò convenientia, & tamen in tali abstractione humanitas dicitur non eadem lapidi, ergò non est formaliter non identitas unius rei cum alia, esto eam præsupponant.

Arguitur in contra. Per illud distinguuntur unum ab alio per quod tollitur identitas utriusque, sed per negationem identitatis tollitur immediatè identitas unius ab alio, verbi grati per negationem identitatis tollitur immediatè identitas Petri cum Paulo, ergò. prob. mi. quia identitas & negatio ejus opponuntur contradictoriè, ergò per negationem tollitur immediatè ipsa identitas. R. dist. ma. per quod tollitur immediatè identitas positivè concedo, negativè nego majorem: hæc etenim non sufficit, sicut nec negatio similitudinis ad dandam denominationem dissimilitudinis. Sed

Instatur Eodem modo se habet divisio sicut se habet distinctio, sed divisio non tollit per positivum unitatem, ergò nec positivè distinctio identitatem, Probatur ma. quia quemadmodum identitas correspondet unitati & in ea fundatur, ita distinctio divisioni correspondet in multitudine: nam in multitudine fundatur, ergò. R. 1. dist. ma. eodem modo se habet divisio & distinctio negativa concedo ma. eodem modo se habent divisio & distinctio positiva nego ma. & concessa: mi. distinguo consequens similiter sicut ma. nam distinctio quæ cum sola non identitate coincidit cum divisione convenit, non verò illa quæ est propria inter positiva extrema. Resp. secundo negando ma. ejusque probationem, nam licet identitas unitatem consequatur & in unitate fundatur, alia tamen ejus est natura ab unitate, quoniam conceptus unitatis est absolutus, identitatis verò relativus, unitas ex sua ratione formali excludit pluralitatem, identitas plura supponit & inter plura versatur: ut tamen in unum & idem esse coadunata, sic quoque distinctio licet divisionem & pluralitatem sequatur & in pluralitate fundatur, non tamen est ejusdem omnino rationis & naturæ cum divisione & pluralitate, quia distinctio proprie dicta importat diversitatem positivam inter aliqua plura in peculiaribus eorum rationibus fundatam, unde aliqua esse distincta vel diversa formaliter dicit aliquid positivum, quia in tali esse constituuntur proprie per proprias rationes positivas, sed aliqua esse inter se divisa vel separata, non dicit quid positivum, quia in tali esse sufficienter intelligitur per solam ablationem unitatis vel unionis inter illa: ut constat de partibus continui quæ sufficienter intelliguntur ab invicem solutæ & divisæ per solam ablationem indivisibilis, vel partium continuativi. Sed

Urgetur. Illud positivum per quod aliqua distinguuntur inter se, vel est quid superadditum, vel nihil, si nihil; ergò gratis imputatur Hurtadus qui res formaliter se ipsis distinctas asserit, & gratis attuli quod distinctio fundametaliter sit ipsa illa res, quæ ab alia distinguitur; si verò est aliquid superadditum, illud superadditum vel distinguetur se ipso, vel per aliud, si per aliud, dabitur processus in infinitum, si se ipso, ergò similiter illa extrema se ipsis & sine ullo addito distinguuntur, & consequenter gratis multiplicantur superaddita. Verim tamen ad hanc ursionem sat in Scholis frequentem R. esse quid superadditum illud positivum per quod extrema

Diverso modo se habet distinctio & divisio.

extrema inter se distinguuntur, quando autem dicitur quod illa superaddita iterum per aliam in infinitum distinguui debentur negatur sequela, quia seipsis distinguuntur, nam quemadmodum quantitas non est quanta per aliam quantitatem, nec actio producit per aliam actionem, sic nec illud superadditum quod est distinctio, erit distinctum per aliud superadditum, seu per aliam distinctionem, sed erit distincta seipsa. Ut totam hanc solutionem melius intelligas & percipias.

**DICO 2.** Ratio positiva per quam aliqua distinguuntur non est absoluta rei essentia praecise sumpta. Haec sequitur ex priori, estque Scotistarum communiter contra Hurradum, qui dicit distinctionem esse formaliter cujuslibet rei, ipsam essentiam, Contra quem probatur conclusio. Essentiae rerum secundum se non sunt relativae, & ideo debet addi forma relativa per quam unum referatur ad aliud, sed per distinctionem una res refertur ad aliam, tanquam ab ea diversa, ergo distinctio non est formaliter rei essentia. Probatur secundum quia id quod distinguitur ab alio, & id per quod distinguitur tanquam per principium distinctivum non est formaliter ipsa distinctio, quia quod distinguitur est concretum habens ipsam distinctionem, non vero ipsa distinctio in abstracto, & id per quod distinguitur est principium & radix ipsius distinctionis, non autem ipsa distinctio, ergo neque essentia, neque principium formale constitutum essentiae est formaliter ipsa distinctio, nam essentia est concretum quod distinguitur, & principium ejus constitutum est radix & origo distinctionis & ratio fundandi ipsam distinctionem, non autem ipsa distinctio.

**DICO 3.** Illud positivum superadditum in distinctione proprie sumpta prout est entis affectio est relatio, vel praedicamentale, vel transcendentalis. Est Scoti supra contra Adversarios praecedentes, & probatur quia distinctio per suam rationem formalem est ad aliud, cum sit ratio formalis distinguendi non quidem idem a seipso, sed ab alio, nihil enim distinguitur a seipso, sed ab alio, ergo per ordinem ad aliud, sed quando aliquid sic fit per ordinem ad aliud est per relationem, ergo distinctio cum fiat per ordinem ad aliud est quid relativum, Quod confirmatur, quia omnia requisita ad relationem ei conveniunt: nam concurrunt utrimque extrema positiva, ratio fundandi, quae est pluralitas rationum in utrisque, & tandem relativa denominatio. Dixi autem hujusmodi relationem importatam, vel esse transcendentalem, vel praedicamentalem; nam datur aliqua distinctio quae est rei identificata, & haec est propria entis passio & datur etiam aliqua distinctio quae est relatio praedicamentalis & purum rei accidens, quia adest & abest praeter subjecti corruptionem, ut distinctio quam ego distinguor a Titio verbi gratia existente, quo defuncto perit etiam illa distinctio, & talis distinctio dicitur esse aliquid superadditum rei essentiae non tantum formaliter ut est transcendentalis, sed etiam realiter. Sed

**DICES.** Relatio supponit extrema distincta, quia idem ad seipsum non refertur, si ergo

distinctio est relatio supponit extremorum distinctionem, & sic illa superflue additur, aut dabitur processus in infinitum. R. dist. ant. supponit extrema distincta fundamentaliter concedo formaliter nego. Sed

**Instabis.** Relatio supponit extrema non tantum fundamentaliter, sed etiam formaliter distincta, ergo nulla solutio. R. dist. ant. Relatio supponit extrema formaliter distincta ut talia denominentur, & sint ante distinctionem advenientem, nego ant. supponit, &c. ut ipsa relatio formaliter in tali esse constituat, concedo, quia hoc particulariter convenit relationi per distinctionem importatae, quia ipsa constituit extrema inter quae versatur formaliter & actualiter distincta.

**DICO 4.** Si distinctio consideretur in largiori acceptione prout positivam & negativam comprehendit, tunc relatio superaddita in qua formaliter consistit, praescindit a transcendentali & praedicamentali. Hanc non inveni ab Authoribus in terminis sic propositam videtur mihi tamen quod deducatur ex praecedentibus. Probatur. Quia dantur multae distinctiones quae licet relationes sint, non sunt tamen praedicamentales neque transcendentales, ergo. Probatur ant. nam distinctio quae ab aeterno Deus non fuit Angelus, non est praedicamentalis, nec esse potest, nec transcendentalis, ut patet, ergo debet esse praescindens & tales relationes sunt omnes illae quae versantur inter ens & non ens, inter Chymaeram verbi gratia & Titium, &c. Prob. 2. Quia si relatio consideretur in sua tota amplitudine prout & realem & rationis & positivam & negativam comprehendit, tunc non poterit aliqua ratio communis univoca assignari, ergo debet assignari aliquod praescindens & aequivocum, & haec sufficiant pro prima quaestione.

**VIII.** si accipitur in largiore acceptione praescindit a praedicamentali & transcendentali.

**QUAESTIO II.**

Quotuplex sit Distinctio?

Veteres Thomistae, in divisione

Distinctio parciore extiteret, utpote qui solum duo distinctionis membra & genera admitterent, scilicet rei & rationis; Scotistae vero Antiquiores profusi e contra fuerunt & copiosi, utpote qui septem assignarunt distinctionum genera, nempe distinctionem rationis, ex natura rei, formalem, realem, essentialem, se totis subjectivae & se totis obiectivae. Distinctionem rationis esse dicebant quae fit ex fabricatione intellectus, Ex natura rei vocabant, inter illa, inter quae intercedit contradictio sine omni opere intellectus, sicut dicebant distingui definitum & definitionem, superiora ab inferioribus, modum intrinsecum a re cuius est modus, ut Essentiam Divinam ab infinitate, creatam a finitate, Petrum a sua differentia individuali, & albedinem a gradu intensiois ejus. Formalem appellabant eam, quae reperitur in unica re habente plures formalitates quarum una diversam habeat conceptibilitatem ab alia, & sic distinguunt plures potentias in eadem anima, subjectum & passiones, perfectiones attributales in Essentia Divina, licet enim singulae in eadem re Physica sint immersae, quia tamen singulae propriam habent conceptibilitatem sibi adae-

**I.** Multa olim distinctio-num genera

quatam, idè inter se formalitèr distinguuntur, quod de modo dici nequit respectu rei, cuius est modus: licet enim res sit conceptibilis sine modo, non tamen e contra. Realem appellabant illam, quæ versatur inter plures res, seu inter plura quorum unum non est entitativè aliud, unde dicuntur distingui realitèr quæ sunt res & res, & non aliquid rei. Essentialem dicebant inter illam, quæ versatur inter illa quæ habent diversas essentias, seu quorum unum non est de conceptu quidditativo alterius, circa quam multum laborant ut eam à reali distinguant; Sexta est se totis subjectivè, alitèr subjectiva, & versatur inter ea, quæ non conveniunt in aliqua realitate potentiali, & contrahibili per alias realitates ad ipsa, ut Deus est creatura, cum enim Deus sit simplex, non est in eo ordo realitatum quarum una contrahatur ad aliam; Septima denique objectiva, seu se totis objectivè, & versatur inter ea quæ in nullo conceptu reali quidditativo conveniunt, quò pacto ajunt distingui ultimas differentias. Hæ autem distinctiones sic se habent ad invicem; quòd hæc ultima, cum sit major omnium, infert omnes alias, & penultima omnes alias præter ultimam, & sic ascendendo usq; ad primam, non tamen e contra. Ita communitèr dicti Antiquiores Scotistæ suas distinctiones explicabant, qui propterea etiam Formalistæ appellati sunt; Verumtamen quia hæc multiplicatio distinctionum parvam claritatem affert, ut potè valdè explicatu difficilia sunt nonnulla membra, idè Recentiores Scoti Discipuli eam non probant, sed mediâ incedunt viâ, ita ut non nimis pauca ponant membra, nec nimis multa; Neoterici sequuntur diversâ tamen ratione, nam isti inter realem & rationis modalem admittunt, illi verò inter realem & rationis formalem, ex quo patet Scotistas Recentiores non nisi tria distinctionum genera ponere, ad quæ omnia alia reducuntur. Notandum autem quod Neoterici distinctionem modalem eam vocent quæ non est inter rem & rem, sed inter rem & modum rei, modificantem rem, qualis est se sibi respectu sedentis, quam nolunt dicere realem, quia modus non potest separatim existere à re modificata. His itaq; præmissis, pro clariori dicendorum notia ad quæstionem.

II.  
bene dividi-  
tur in realem  
& rationis.

**Dico I.** *Distinctio prima sui divisione adæquatè dividitur in realem, seu ex natura rei, & rationis, sive quæ sit per operationem intellectus.* Ita quàm plures Scotistæ, Rhada 1. p. Controv. 4. Mastrius, &c. Probatur Conclusio primo ex regulis bonæ divisionis, scilicet quotiescunq; aliquid commune in inferiora dividitur, debent primò membra immediatiora assignari & non remotiora, nec tam multa quæ confusionem pariant, sed in divisione data membra dividenda sunt immediatiora, nec enumerantur plura, vel tot quæ confusionem parere possent, ergò. Prob. iii. membra quæ dividunt immediatè ens in tota sua latitudine, sunt ens reale & rationis, capiendò ens reale pro omni eo quod est extra nihil, nam impossibile est aliquam rationem entis excogitari, quæ non dicat, aut ens reale, nimirum aliquid habens esse independentèr ab intellectu, sed identitas & distinctio se-

quantur rationem entis veluti ejus passionem & proprietates, ergò, quandoquidem ens prima sui divisione dividitur in reale & rationis sic paritèr dividetur distinctio. Probatur Conclusio 2. Tunc est legitima & immediata divisio alicujus communis, cum membra dividenda ita se habent ad rationem communem, ut sub ipsis contineantur alia inferiora, sive per modum generum, sive per modum specierum, sed data membra omnes alias distinctiones sub se complectuntur, aut veluti genera, aut veluti species, ergò. Major patet ex dictis, minor contabit ex mox dicendis per hanc disputationem, sicut & subsequenter: aliam subdivisionem distinctionis realis pono &

**Dico 2.** *Distinctio ex natura rei subdividitur bene in distinctionem ex natura rei propriissimè realem, & in distinctionem ex natura rei formalem.* Hæc colligitur ex Scoto 1. d. 2. q. 7. §. sed hic restat, & d. 8. q. 4. §. ad quæstionem, & 2. d. 1. q. 5. & alibi sæpè. Probatur, Quia ut docet Philosophus 5. Met. t. 18. Identitas præcisè fundatur super unitatem, distinctio verò super multitudinem & pluralitatem, ergò tot modis reperitur distinctio realis, quot modis reperitur pluralitas ex parte rei, subsumo, sed pluralitas ex parte rei reperitur duplex, ergò etiam duplex distinctio, probatur subsumptum, Quia una est pluralitas rerum & dicitur pluralitas simpliciter, & altera est pluralitas realitatum, seu formalitatum, & dicitur pluralitas secundum quid, & nulla alia præterea datur inter res, ergò: quare utramq; rei pluralitatem explicabo, si explicuero rem & formalitatem, seu realitatem. Itaq; per rem hic intelligitur non tantum id quod per se primò & immediatè existit, vel sic existere potest ut multi formalistæ volunt, sed omne id quod per veram efficientiam & physicam causalitatem accipit esse, sive se solo existere possit, sive non, & ita se habent omnes Physicæ entitates, omnes nimirum substantiæ, sive completæ, sive incompletæ, omnia item accidentia, seu absoluta, seu respectiva, hæc enim omnia sunt entia habentia existentiam in re, etsi non omnia se solis existere possint, ut patet de relationibus: nam hoc solum indicant exilem illa habere existentiam & essentiam ab altera dependentem, non verò carere prorsus omni existentia, & proindè nata sunt fundare distinctionem realem, ut potè quia sunt veræ res & vera entia Physica per veram causalitatem Physicam producta. Per formalitatem verò, seu realitatem intelligitur id, quod est aliquid rei præteritèr explicatè, non quomodocunq; sed per identitatem realem, sive perfectam, ut est identitas attributorum in Deo, quæ habetur ratione infinitatis extremorum, sive imperfectam, ut est identitas graduum Metaphysicorum, in creatis tamen non recipit esse proximè à causa per verum influxum Physicum, sed tantum per simplicem dimanationem Metaphysicam, hoc modo dicit Scotus passionem emanare à subjecto 1. d. 3. q. 3. & potentias ab anima hominis in 2. dist. 6. q. 1. Sunt nonnulli etiam Scotistæ qui distinctionem dividunt in Numericam, specificam, genericam, adæquatam, inadæquatam, &c. Mihi tamen videtur quòd sint meræ explicationes nominales, atq;ue

III.  
Definitio  
realis subdivi-  
ditur.

atq; ad eò iis super sedendum duxi, unde principaliora distinctionis membra Realem & formalem atq; rationis in sequentibus quaestionibus particulariter examinabo.

**QUAESTIO III.**

*De Distinctione Reali.*

**Visis** iis quae ad explicandam distinctionem secundum se, & multipliciter necessaria videbantur, descendendo nunc ad enodandas singulatim quaslibet species, & imprimis in hac quaestione agam de distinctione reali, utpote quae est magis communis & obvia, pro quo tamen

**Notandum I.** Quòd Quaestio haec non procedat de distinctione reali in tota sua latitudine prout contra distinguitur à distinctione rationis, & coincidit cum distinctione ex natura rei, seu illa quae habet suum esse independentè ab operatione intellectus, quia sic sumpta non est species ab aliis distincta, sed est genus ad omnes distinctiones, quae habent esse sine operatione & fabricatione intellectus, quomodocumq; illud habeant, sed sumitur pro distinctione reali propriè dicta, quae etiam dici solet distinctio realis entitativa ut distinguitur à distinctione formali, quae etiam reperitur inter extrema sua ex natura rei, & tamen non dicitur realis, in hoc sensu quia non versatur inter extrema quae sunt res ac entitates, sed purè formalitates.

**Notandum 2.** Quòd nec quaestio futura sit de distinctione secundum eam considerationem & rationem quam distinctio pro formali importat, quasi quaereretur an distinctio realis praeseferat relationem realem inter extrema distincta; nam in praesenti non refert an distinctio relationem realem importet necne, sed queritur de distinctione ratione fundamenti, ad quod potest sequi illa relatio, quia haec distinctio non dicitur realis simpliciter, seu entitativa, eò quòd ipsa fit relatio realis, sed quia extrema sunt verè res ratae & firmæ quoad existentiam, unde Deus dicitur distingui realiter à creatura, cum tamen relationem realem ad illam non habeat; his notatis duo potissimum examinanda in hac quaestione occurrunt, primum in quonam consistat natura & conditio distinctionis realis, alterum est quanam sint ejus sufficientia & legitima signa. Quòd primum attinet sicut variavaria senserunt de divisionibus distinctionum ita quoq; multiplicia opinantur explicando singula membra, videtur tamen superfluum singulorum sensus recensere & enumerare, quare potius ad ipsam materiam enodandam progredior &

**Dico I.** Distinctio realis illa est, quae versatur inter rem & rem sumendo rem in ea acceptione quam adhibui in praeterea quaestione, explicando quid res significet. Haec est plurimorum Scottistarum signanter Maltrii, Baronis contra Pontium. Et etiam D. Augustini lib. 6. Trinit. cap. 6. quem in terminis infra citabo; Ut probeatur autem Conclusio notetur prius ex Scoto I. d. 36. Quòd res dupliciter primò accipi potest, vel prout dicitur à ratur rata ratur, & sic dicta res solet appellari res simpliciter, vel prout origi-

nem habet à reor reor, quod significat opinari, & sic sumpta vocatur res secundum quid, quae ratione omnia à nobis opinabilia etiam si sint impossibilia res appellantur, licet tantum secundum quid, quia sunt res opinabiles, Res autem primo modo accepta, secundum Scotum I. d. 36. ad I. princ. iterum dupliciter, dici potest ens ratum, aut quia habet actu esse firmum & verum essentia, aut existentia, vel etiam subsistentia, aut saltem tale esse sibi non repugnat per quod distinguitur à figmentis, quae neutro modo habent esse. Quo praemisso probatur Conclusio: Distinctio realis versatur simpliciter inter rem & rem, non prout venit à reor reor, sed ut venit à ratur rata ratur, sed raritudo & firmitas non habetur in re nisi per ordinem ad existentiam actualem, vel possibilem, ergò distinctio realis potest intercedere tam inter duo entia rata & firma quoad existentiam actualem quam possibilem, quorum unum simpliciter non est aliud; Quare sequitur quòd distinctio realis de qua hic ago est illa, quae versatur inter duo extrema quae sunt res, vel entia habentia esse ratum & firmum modo explicato, id est existentiam actualem, vel possibilem per se factam, vel imperfectam, sive possint per se produci & immediatè, sive petant necessariò produci cum alio, vel in alio, sicut universaliter est de omnibus relationibus praedicamentibus & modis, quae licet per se esse & produci non possint sine subiecto & fundamento, etiam per potentiam Dei absolutam: ex eò tamen quia eis de novo advenire possunt, ac destrui illis permanentibus, arguitur quòd ipsa quoq; propriam habeant existentiam, licet diminutam & imperfectam secundum quam possunt produci & destrui illo remanente, atq; idèò possunt dici res prout à realitate distinguuntur quae nullam habet propriam existentiam, aut productionem Physicam. Tota haec doctrina confirmatur ex Augustino supra cit: ubi sic dicit, *In uno quoq; corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura; Potest enim & diminuta magnitudine manere idem color & eadem figura, & mutato eodem colore manere eadem magnitudo & eadem figura.* Et lib. de fide & Symb. cap. 9. *Si duo sibi corpora copulentur ita ut juxta invicem collocentur, ipsa copulatio non est corpus, quandoquidem separatis illis corporibus quae copulata dicebantur, nulla invenitur, nec tamen quasi discessisse & migrasse intelligitur.* Ex quibus omnibus facile occurritur argumentis nonnullorum Scottistarum, qui existimant quòd distinctio realis debeat versari inter extrema realia & positiva, quia non est hic sermo de distinctione sub sua ratione formali scilicet relationis, sed sub ratione fundamenti; Et etiam aliis qui e contra autumant quòd ad distinctionem realem necessaria non sint extrema realia, aut positiva, vel existentia, sed sufficere quascumq; negationes & privationes, & non entia, utpote cum habeant inter se maximam oppositionem scilicet contradictoriam; quia hoc quidem verum est, si distinctio sumatur negativè, id est, pro simplici non identitate, non verò si sumatur positivè, pro diversitate, quae est passio entis, haec enim necessariò versari debet inter duo extrema positiva, quorum est ut habeant se taliter quatenus unum entitativè sit extra aliud, neque

cum illo communicare possit inesse, quod privationibus & negationibus convenire nequit, utpotè quæ incapaces sunt essentiae & existentiae realis.

V.  
sententiae  
pro signo di-  
stinctionis  
realis.

Quantum ad alteram quaestionis partem, multum diversificant inter se Authores, nam aliqui nimis multa signa afferunt, aliqui verò nimis pauca, nam Baro unicum signum distinctionis realis adfert, separationem veluti sufficientem, cum tamen clarum sit eam non sufficere: aut si defenderit veluti sufficientem multam eam debere sustinere torturam, imò expresse contra Doctorem loquitur, in 2. d. 2. q. 2. ubi ait: Ea realiter distinguuntur quorum unum est, vel esse post separatum ab altero, vel saltem talia sunt, quæ sic ad invicem se habent, sicut illa quæ sunt separata, vel separabilia, per quæ posteriora verba clarè innuit non solum ex separatione colligi debere distinctionem realem, sed etiam ex aliis quæ se habent per modum separabilium. Pontius assignat 3. signa distinctionis realis, scilicet separationem, principium & principiatum, causam & causatum, & subjectionem in rebus diversis, quæ nonnulli alii etiam amplectuntur diversimodè: nam aliqui putant solam separationem ut Baro, alii mutuam separationem, ut Neoterici, alii solam oppositionem producentis & producti, pro signo adequato distinctionis realis afferunt, ita Fonseca, alii alia sentiunt, attamen contra Eos

VI.  
Non est se-  
paratio sola,  
nec relatio  
producentis  
& producti,  
nec subje-  
ctatio.

DICO 2. Nec sola separatio, nec sola oppositio producentis & producti, causantis & causati, nec sola subiectatio in rebus diversis signum adequatum est distinctionis realis. Videtur esse communis Scottistarum, & probatur quoad singulas partes, & in primis quoad primam; Quia multa distinguuntur realiter, quæ tamen à se invicem separari nequeunt, ergò separatio se sola non est signum sufficiens adequatum distinctionis realis, probatur aut. Quia relativa universaliter distinguuntur à se invicem realiter, & tamen unum non potest esse sine alio, cum sint simul naturali existentia, Relatio prædicamentalis & quilibet modus extrinsecus distinguuntur à fundamento & re modificata, & tamen nec relatio sine fundamento, nec modus sine re modificata existere potest, item Relationes Divinæ suppositales, nec separari possunt quoad existentiam, nec quoad identificationem cum essentia: nam nec paternitas potest esse sine filiatione, nec realiter identificari essentiae quin etiam filiatio identificetur eidem, & tamen certum est inter se realiter distingui. Deniq; secundum ipsos Thomistas materia & forma realiter distinguuntur sicuti & subiectum & passio, & tamen secundum ipsos, nec materia potest esse sine forma, nec passio sine subiecto, sicut & plura alia, ut actus vitalis sine potentia, unio sine partibus unitis subsistere nequeunt, quæ tamen realiter distinguuntur, ergò separatio actualis etiam, vel potentialis non est signum adequatum distinctionis realis, Minus itaq; verum crit quod debeat esse separatio ut volunt Recentiores, nam ad distinctionem realem cum omni proprietate sufficit, quòd alterum extremorum existere possit sine altero

Probatur secunda pars Conclusionis contra Fonseca, Quia homo & equus realiter distinguuntur absq; tali oppositione relativa causæ & effectus, seu producentis & producti, item albedo & dulcedo in lacte realiter distinguuntur & tamen inter illas non intercedit oppositio producentis & producti & multa similia alia, ergò oppositio producentis & producti non est signum adequatum distinctionis realis. Tertia pars videtur quidem quasi evidentissimum & adequatum esse signum, utpotè cum nihil à seipso dividi possit & separari, si ergò aliqua reperiuntur in pluribus rebus realiter distinctis, signum evidens est illa realiter distingui: quare probatur Conclusio etiam quoad hanc partem, Quia anima rationalis subiectatur in diversis corporis partibus, angelus in diversis partibus loci sui adequati, & Deus est in omnibus mundi rebus quantumcumq; disitis per illapsum generalem, non minus quam anima in diversis corporis partibus, & tamen nec anima, angelus, aut Deus distinguuntur realiter, ergò hoc signum non est adequatum. Item Essentia Divina est in Patre, Filio & Spiritu Sancto realiter distinctis, & tamen non distinguitur, ergò. Deniq; licet explicetur prout faciam in sequenti conclusionis, videtur tamen superfluum, quia coincidit cum separatione actuali secundum unionem, ergò.

DICO 3. Licet omnia præallegata simul sumpta sint adequatissimum signum distinctionis realis, non sunt tamen signum adequatum distinctionis realis de casu per impossibile. Hæc est nova quam apud Authores sic propositam non reperi. Prima pars deducitur tamen ex D. Augustino 1. Trinit. 1. ubi dicit, nihil seipsum egnerere posse, & 6. Trinit. 6. ubi ex separabilitate colligit distinctionem realem vide eum citatum supra concl. 1. Probatur 1. p. Quia cum omnia singulariter non sint adequatum signum distinctionis realis, ergò erunt simul sumpta, tum quia omnia quæ distinguuntur realiter, aut ideò fit, quia sunt separabilia, aut quia inter ea intercedit oppositio producentis & producti, aut quia subiectantur in rebus diversis, ergò omnium distinctionum de factò realium sunt adequatissimum signum, aut. patet ex dictis, consequentia est legitima, Quare solum sciendum quomodo intelligi debeat subiectatio in rebus diversis, videlicet quòd debeat esse naturalis subiectatio in diversis plurium rerum, non ejusdem, quia si Deus albedinem poneret in duobus parietibus, illa albedo non distingueretur realiter à seipsa. Pontius addit quòd illa diversa non debeant facere unum per se Physicum, vel integrale sic contingit in anima rationali, quæ licet informet caput, manus, pedes, tanquam diversa subiecta, verum tamen caput, manus, pedes sunt tales partes, ut ex illis resulet totum integrale, corpus scilicet humanum. Quod tamen Maffrio non placet, sed dicit hanc regulam sic debere intelligi, quòd illa dicantur realiter distincta, quæ sunt in pluribus rebus realiter distinctis totaliter & adequatè, qualiter non est anima: mihi tamen videtur in idem coincidere. Prob. 2. p. Quia schola Scotti si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc realiter distingueretur ab eo, sed in tali casu nullum

VII.  
Prædicta  
sunt signa  
distinctionis  
realis de fa-  
cto, non de  
casu per im-  
possibile.

nullum interveniret signum ex allatis, ergo: probatur mi. quia non esset ab eo separatus in essentia, neq; separabilis; neq; esset unius ejusdem subjectatio in diversis, neq; oppositio producentis & producti, ut est ipsum suppositum quaestiois, ergo nullum intercederet ex allatis signum, consequenter non sunt adaequatum signum distinctionis realis in casu etiam de impossibili. Quare

III. DICO 4. Signum adaequatum distinctionis est separatio actualis, vel potentialis, aut proportionalis simul sumpta. Ita Doctor supra, Magistrus, &c. Probatur Conclusio, Quia omnia quae distinguuntur realiter, aut actu sunt separata in esse, aut separari possunt per Dei potentiam, aut saltem correspondent his proportionibus (saltem se habent proportionaliter) quae separari possunt in esse, ergo: probatur ant. Quia ideo dicimus substantiam & quantitatem realiter distingui, quia actu separantur, & ideo distinctam esse formam à materia, quia separari possunt, Et ideo dicimus Divina supposita realiter distincta etiam in casu prioris conclusionis, quia correspondent his quae separari possunt, item relationes alias oppositas & disparatas (qualem dicit Doctor fore in casu quo Spiritus Sanctus non procederet à Filio) compositum à materia & forma distinctum, quia se nimirum habent ut producens & productum, & unum essentialiter ab alio dependet, de quibus talia contradictoria praedicari possunt, qualia verificari nata sunt de ipsis rebus, quae separate sunt, vel separabiles.

Distinctio Realis jam explicata subdividi solet, in positivam & negativam, positiva in essentialem & accidentalem. Distinctio negativa est quae versatur inter ens & non ens, ut inter materiam & privationem, inter duo non entia, ut inter duas privationes, unde quia proprie non est inter rem & rem, dicitur realis negativae, & imperfectae: Positiva est quae versatur inter duo extrema positiva quorum unum entitative non est aliud: Realis essentialis est, quae oritur inter duo ex principiis eorum essentialibus, & ita distinguuntur res quae extant sub diversis generibus, vel speciebus, quia haec habent essentias & naturas alterius rationis. Distinctio realis accidentalis est, quae à principiis accidentalibus causatur, & taliter distinguitur homo albus à nigro, & ad hanc reduci potest distinctio numerica individuorum, quatenus principium individuationis, unde oritur, est pertinet ad substantiam individui, est tamen extra essentiam ejus.

QUAESTIO IV.

An detur Distinctio Formalis, & quid sit?

Quaestio ad respondendum. Quamquam Naturae conformissimum sit prius quaestioem instituire de re an sit, quam quaerere quid sit, ut ipse quaestiois titulus praefert, nihilominus hic ordo iste invertendus erit, & antecedenter examinandum quid distinctionis formalis Scotistica nomine intelligatur, utpotè cum diversis diversis ad  
F. Amandi Hermann Logica.

hibeant explicationes, imò & acceptiones plures sint, & postea decidendum an detur, Nam in primis distinctio accipi potest pro distinctione diversarum formarum accidentalium, sic paries albus & niger dicuntur distingui formaliter; Secundò pro distinctione diversarum formarum substantialium, sic Petrus & Paulus non dicuntur distingui formaliter, quia habent eandem speciem essentiam, sed bene Petrus & Bucccephalus, quia habent essentias diversas: & de duabus istis acceptionibus non est nobis controversia, quia certum est, quòd illa distinguuntur realiter; Tertio denique modò accipitur distinctio formalis pro distinctione aliqua quae est à parte rei actualiter ante omnem operationem intellectus, quae tamen non est distinctio realis propria, nec pariter est rationis, seu per fictionem intellectus. Pro clariori dicendorum ex superiori quaestione intelligentia, Nota Entia positiva esse in triplici differentia, quaedam enim sunt, quae per se sine aliis rebus quas includunt existere possunt, quaedam verò quae quidem sine aliis existere nequeunt, possunt tamen de novo advenire alicui rei quae per se existere possunt, & ut dicebam supra, sunt omnes relationes & modi extrinseci, quae simpliciter res appellantur, licet in hoc differant, quòd primae per se existere possint non tamen secundae; Tertium genus rerum positivatum est, quae neque per se existere possunt, neque de novo adveniunt alicui, quia sunt talis naturae, ut nec illa res in qua semel existunt unquam esse possint sine illis, & e contra nec illa sine rebus ipsis in quibus sunt, & tales sunt omnes gradus Metaphysici, quae quidem res vocantur positivae in quantum omne illud quod est quid positivum dicitur res, quod non est ens rationis, ut tamen à prioribus duobus generibus distinguuntur, vocantur formalitates: quia quemadmodum forma denominat suum subjectum formaliter, verbi gratia albedo parietem, ita etiam formalitates denominant formaliter rem in qua sunt, non vocantur tamen formae, ut distinguantur ab ipsis formis reallibus. His praemis ad secundam partem quaestiois.

Entia sunt in triplici differentia.

DICO I. Bene describitur distinctio formalis,

Quod sit diversitas quae intercedit inter hujusmodi formalitates tam a rebus quam inter se, quibus correspondet ante omnem operationem intellectus actu alium & alium conceptus objectivum, ut adaequate unus non sit alius. Haec quamvis non sic proponatur in terminis ab omnibus, in re videtur esse communis. Et explicatur per singulas partes. Dicitur diversitas quod habet rationem generis, quia per hoc convenit cum aliis distinctionibus reali nimirum & rationis, quae aeq; explicantur per diversitates; dicitur quae intercedit inter formalitates tam à rebus quam inter se; per quod distinguitur à distinctione reali, quae non intercedit inter formalitates hujusmodi, sed inter res & res quae per veram Physicam causalitatem esse accipiunt, seu postea per se existere possint, five non, hujusmodi autem formalitates non accipiunt esse per veram Physicam causalitatem, sed solum per Metaphysicam  
L emana-

II. describitur distinctio formalis.

emanationem ut proinde rebus ita identificentur, ut nec res sine ipsis, nec ipsa sine rebus esse possint. Additur quibus ante operationem intellectus, &c. per quod distinguitur à distinctione rationis, & virtuali, quæ non habet ut verifetur inter conceptus actu diversos objectivè, sed virtute tantum: quatenus scilicet eadem simpliciter res ob eminentiam æquivalet pluribus realitatibus, unde intellectui occasione præbet concipiendi rem per modum plurium formalitatum conceptibus inadæquatis. Additur deniq; ut adæquate unus non sit alius, tum propter dicta modò, tum quia formalitas est ratio objectiva conceptibilis in re aliqua conceptu perfecto & adæquato, distinctio à conceptu quo concipitur alia formalitas ejusdem rei, vel ipsa res, per quod denotatur etiam illos conceptus debere esse inter rem & formalitatem, vel inter formalitates inter se: adeoque rei immersa per veram identificationem. Pontius addit per particulam quibus ante omnem operationem intellectus competunt prædicata contradictoria, verum non videtur esse necessaria: eo ipso enim dum dicitur quod unus actu alius non sit, insinuat ipsi competere posse prædicata contradictoria.

III.  
Datur distinctio formalis Scoti.

Dico 2. Datur hujusmodi distinctio formalis media inter realem strictè dictam & rationis. Hæc Conclusio est una ex celebrioribus totius Philosophiæ & Theologiæ, Auctores pro ea citare qui vel sequuntur, vel contra quos est superfluum est, cum eam quasi omnes extra scholam Scoti, averfentur & impugnent, gratis tamen & insufficienter, ut ex ipsis inimicis & adversariis nonnullis inter cæteros modestior scriptor Neotericus Franciscus Oviedo testimonium perhibet Controv. 4. Met. p. 2. dicens, *Totus multorum est labor, qui de hac re scripserunt in impugnanda hac distinctione, quam non explicant, neq; ad mentem Scotistarum referunt, & facile in illam multa congerunt argumenta, à quibus omnibus se abstinerent, Scotistarum mentem sollicitè si indagassent, & prius ad hanc distinctionem explicandam, quam impugnandam suam navassent operam.* Quod quidem verissimum est, nam multi, ut dicit Mastrius impugnant quod non intelligunt, nec unquam somniavit Scotus. Sed ad rem ipsam progrediendum, Probatur Conclusio 1. Autoritate Doctoris, ubi multis in locis clarè distinctionem asserit, sunt etenim quoque nonnulli qui planè hanc distinctionem asserunt dicentes, quod fortasse verbo eidem favorit sententia nequam, ut citat plures Baro, Apol. 6. Met. act. 7. sed frustra nam in 1. d. 2. q. 7. n. 41. clarissime distinctionem formalem asserit, dum concludit dicens, *Dico quod ratio quæ formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentia ut essentia habentem aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus, sive creati, sive increati; Ex quibus ego sic subsumo, sed illa distinctio non est realis, ut est de fide, nec rationis, quia dicit præcedere omnem intellectus actum, sive creati, sive increati, ergò est formalis media.* Et ibidem d. 13. q. un. n. 26. *Ad tertium principale dico, quod antecedens de distinctione principiorum sola ratione, falsum est.* Et in 2. d. 16. q. 1. inquit, *Alia sunt contenta in aliquo unitivè, quasi posteriora, quia*

*quasi passionibus continentibus, nec sunt alia res ab ipso continente, isto modo ens continet multas passiones quæ non sunt res alia ab ente, ut probat Aristoteles in principio 4. Metaph. distinguuntur tamen formaliter ab invicem, & quidditative & etiam ab ente.* Et dist. 3. q. 6. n. 12. *Comparando autem ad illud quod est supra se, dico quod illa realitas à qua sumitur differentia specificas, est actualis respectu illius realitatis à qua sumitur genus, vel ratio generis, ita quod hæc realitas non est formaliter illa.* Et his similia plura habet aliis in locis, sufficiunt ista ad demonstrandum Scotum eam distinctionem tenuisse, & incepisse: utpotè cum ante illum nulla illius fuerit mentio.

Probatur Conclusio 2. Autoritate Sanctorum Patrum, & in primis D. Augustini serm. 3. de tempore, ubi ait, *Aliud est anima, aliud ratio, & tamen in anima est ratio, & una est anima.* Et epist. 102. expressè dicit: *Memoria, intelligentia, voluntas, non sunt idem;* Et lib. 15. de Trin. 7. docet, *Mentem non esse animam, sed partem ejus excellentem in ea,* intellige per partem idem quod potentiam, & sermone 63. de verbis Domini, *Tria hæc sunt in se* (scilicet quod dixerat supra memoria, intelligentia, voluntas) *quæ potes numerare non separare, & similia plura alibi habet.* Ex quibus clarè liquet idem sensisse D. Augustinum quod docent Scotistas, videlicet animam non esse omnino simplicem, sed compositam Meaphysicè, scilicet inter quæ intercedere distinctionem necesse est, cum expressè dicat esse aliud, ubi autem magis intercedit distinctio quam inter alia, sed non realis ut ipse quoque; fatetur, ergò alia, ista autem non est rationis, ergò formalis. Deinde D. Bernardi qui sermone undecimo in Cantica inquit: *Inanima tria intueor, rationem, memoriam, voluntatem, & hæc tria eandem esse animam,* ubi quodammodo in terminis cum D. Augustino coincidit, sed ut clariùs, cognoscas eundem mellissimum Doctorem nostram doctrinam tenuisse, sequentem accipe textum sermone 80. in Cantica Cant. *Nulla forma est id cuius est forma est autem magnitudo* (id est intellectus, quia supra dixerat anima magnitudinem comprobari ex captu æternitatis, quod utiq; sit per intellectum & voluntatem) *forma animæ, nec enim ideo non forma, quia inseparabilis est illi, hoc siquidem sunt substantiales differentie omnes, hoc non modo propriè propria, sed & propria quædam, hoc etiam alie innumerabiles formæ, & infra inter alia exempla asserit risibilitatem & rationalitatem, quod ipse homo non fuit, cum tamen nullus homo inveniatur sine risibilitate & rationalitate.* Vides an Scotista meliùs possit argumentari, an meliùs rem declarare? dum non modò dicit de intellectu & anima non esse idem, verum etiam similiter omnes substantiales differentias eadem non esse, & insuper proprietates rerum: ubi autem magis intercedit distinctio quam inter illa, quæ idem non sunt, cumque ex mente ipsius mellissimi Doctoris realis non intercedat, nec rationis, ergò formalis, Baro citat per Conclusionem alios multos Sanctos Patres, inter quos est Anselmus, Boethius, Damascenus, Cyrillus, Hilarius, & ex Scoto Augustinum athenens

asserens se in ipso opere sententiam sancti Augustini non invenisse, quod mihi non nihilum ridiculum est, quod Vir alioquin in scribendo indefessus & impiger in præallegata loca tum ex S. Angustino tum ex S. Bernardo, tam obvia & magis clarè rem nostram deducenda non incidit, aut viderit, aut quasièrit, cum ex professo in actione 8. Apolog. 6. Met. sententiam Scoticam intendat ex Patribus defendere. Sed ne Conclusio videatur esse minus peripatetica & Aristotelica, quamvis ex eo quod eam non proposuerit Aristoteles, aut ignoraverit, non sit sequela & consequentia probans talem non dari, idèd

IV.

**Probatur Conclusio 3.** Ex auctoritate Aristotelis, qui licet, ut notat Baro in terminis sic distinctionem & doctrinam nostram asserat, rem tamen tenet, nam in primis 4. Metaph. t. 3. ait, *quod ens & unum sint una natura*, & hoc idem dicit 4. Top. cap. 1. *distincta verò ratione quidditativa*, & per consequens sunt eadem realitèr non formalitèr, sed formalitèr distincta 3. Met. t. 10. ait, *Genus esse extra rationem differentiarum, ita ut formalitèr se invicem excludant secundùm proprias rationes formales*, ex quo sequitur genus & differentiam hac distinctione media discerni, si enim essent propriè idem, planè differentia participarent genus & 5. Ethicorum inquit *virtutem & iustitiam esse eandem rem, esse tamen distincta secundùm rationem quidditativam*, quod est idem dicere, quasi essent distincta formalitèr, qui plures videre voluerit Aristotelis auctoritates consulat Magistrum & Baronem.

V.

**Probatur Conclusio 4. Ratio NE I.** Quia in homine verbi gratià ultra res Physicas, quæ sunt ejus partes Physicæ, nempè corpus, & anima, reperiuntur etiam realitates Metaphysicæ, quæ sunt varii gradus essentia ejus, verbi gratià realitas, animalis, rationalis, risibilis, &c. quæ partes non plurificuntur, nec per præcisiones formales, nec per præcisiones objectivas, id est, per conceptus objectivos inadæquatos, sed per adæquatos in ordine suo, ergò etiam in ordine suo distinguuntur quia ubicunq; plura sunt, distinctio ut intercedat necesse est, sed non realitèr, quia in ordine ad totum quod integrant sunt inadæquati, ergò formalitèr; ma. est certa prob. mi. quoad 1. p. Quia intellectus per actionem suam non producit in homine has rationes, sed illas jam formatas & plurificatas reperit, alioquin homo non esset animal rationale & risibile à parte rei, sed tantùm per intellectum, prob. mi. quoad alteram partem, Quia nec homo, nec angelus, nec alia quælibet creatura est simplex aliqua entitas in parte rei, non modo physicè, sed etiam metaphysicè ex variis gradibus, ergò quantumcunq; concipiatur adæquatè concipi nequit, nisi sub variis & distinctis rationibus, quæ licet sint adæquatæ in ordine suo, sunt tamen inadæquatæ in ordine ad totum quod integrant. Probatur Conclusio ratione 2. Quia multa realitèr identifi-

cata variis explicantur distinctis & adæquatè definitionibus, sed definitio, explicat essentiam & quidditatem cujus est definitio, quam habet ante omnem operationem intellectus, ergò si in aliquibus identificatis dantur plures definitiones adæquatæ, plures etiam dabuntur realitates, etiam inter illa concedenda est aliqua distinctio, non realis, quia illæ realitates de quibus sunt definitiones, sunt rebus identificatæ, nec etiam rationis, cum illæ res sint ante omnem intellectus operationem

**Opponitur contra Conclusio VI.**

nem Authoritas Scoti nam in 1. d. 2. q. 5. postquam argumenta attulisset plura ad probandam Conclusionem nostram, nihilominus tamen subdit: *Nunquid igitur debet concedi aliqua distinctio?* Respondeo, *melius est uti ista negativa, hoc non est formalitèr idem, quam hoc est sic & sic distinctum, sed --- nonne sequitur A & B non sunt idem formalitèr, ergò sunt formalitèr distincta?* Respondeo quod non oportet sequi. Et alibi vocat distinctionem istam formalem virtualem. item *Rationis*, ergò non est de mente ejus distinctio aliqua media inter realem & rationis, quæ esset ex natura rei. R. tamen ad primum cum Barone ex Wadingo negando consequentiam, Ad Doctoris ergò auctoritatem dico, quòd benè dixerit non sequi à non idem ad distinctum, seu diversum, illationem, rationem reddit ipse D. 1. d. 8. q. 2. Quia non identitas magis latè patet quàm distinctio, nam aliqua non sunt idem formalitèr, nec tamen distinguuntur formalitèr: quia secundùm probabilem sententiam modus intrinsecus non est idem formalitèr cum eo cujus est modus, non tamen sequitur, ergò distinguitur formalitèr ab eo: quia non dicit per se formalitatem; Ad secundum locum ubi Scotus appellat distinctionem formalem, virtualem, respondeo, quòd non volit eam esse virtualem tantùm præscindendo, nam postea ait 1. d. 2. q. 7. Brevitèr igitur dico omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, quòd in Essentia Divina actum intellectus est entitas A & est entitas B & hæc non est formalitèr illa, ergò quandoque fit ante actum intellectus, non potest esse tantùm virtualis, seu rationis ratiocinatæ, Quod autem distinctionem formalem potius explicari voluit tunc per non identitatem, fecit idèd ut se accommodaret communi loquendi modo, qui tunc in usu erat, Tartaretus & Vigerius addunt Scorum idèd non identitatem vocasse nostram distinctionem formalem, eò quòd non importet veram relationem, Quando verò eam appellat rationis, non vult quòd per rationem & actum intellectus fabricetur, sed vel idèd, quia ratio considerat aliqua verè esse distinctas formalitates, quarum una non est altera, vel sumit rationem pro eo quòd importat quidditatem rei, ut benè notat Baro, quo sensu dici solet hæc est ratio formalis rei, leo & equus sunt diversæ rationis, dum itaque dicit esse rationis, vult dicere esse inter diversas formalitates.

Solvitur Aristoteles.

VII.  
*Distinctio  
 formalis  
 coincidit  
 cum reali ut  
 opponitur  
 rationis di-  
 stinctioni.*

**Arguitur 2.** Ratione cum Oviedo, Distinctio formalis coincidit cū distinctione reali, ergo non est media inter reale & rationis, prob. ant. Ideo aliqua realiter distinguuntur, quia unum ex natura rei non est aliud, verbi gratia, ideo materia & forma distinguuntur realiter quia ante omne opus intellectus materia non est forma, & forma non est materia, sed etiam ante opus intellectus una formalitas non est alia, & ista alia non est illa, ergo coincidit cum distinctione reali, consequenter nulla dabitur media. R. negando ant. cujus probat: majorem dist. ideo quia unum non est aliud realiter, concedo ma. quia unum non est aliud formaliter, nego ma. & dist. similiter minori nego consequentiam. Itaq; distingui realiter dicit non esse idem realiter, quod non habeat formalitates, quæ tantum non sunt idem formaliter, & sunt idem realiter, sed

**Instatur** Non esse idem realiter non est aliud quam non esse idem omnem operationem intellectus, sed formaliter illa ante omnem actum intellectus non sunt idem, ergo non solum carent identitate formali, sed etiam reali. R. negando majorem, Quia non esse idem realiter non dicit quomodoquocumque; non esse idem ante operationem intellectus, sed ita non esse idem, ut sint vel actu separata, vel separabilia, vel proportionem correspondent his quæ sunt sic separabilia, quando verò aliqua non sunt idem ante actum quemcumque; intellectus, & illa non identitas non deducitur ex actuali, vel potentiali, aut proportionali separatione, sed ex sola separabilitate secundum conceptibilitatem ex natura rei exigitur, apud intellectum perfectè & adæquate concipientem, hæc non identitas non est realis, sed formalis.

**Urgetur** separatio, vel separabilitas non est sufficientissimum signum quòd aliqua distinguuntur realiter, & alia formaliter, seu distinctionis formalis & realis, ergo nulla solutio: prob. ant. separatio unius ab alio formaliter non constituit distinctionem, sed præsupponit illam, & ideo hæc entitas ab alia potest separari, quia ab alia distinguitur, ergo separatio, vel separabilitas non est sufficiens signum distinctionis realis, & formalis, probatur consequentia, Quia hæc consequentia nulla est, non distinguitur realiter quia non potest separari realiter, neque ista realiter distinguitur, ergo potest separari, sed potius inferendum distinguitur realiter, ergo potest separari, non distinguitur, ergo non potest separari, ergo separatio, vel separabilitas non est sufficiens signum distinctionis realis & formalis, ergo nullum est caput, vel signum ex quo discernatur distinctio ex natura rei realis à formali. R. negando ant. cujus probationis ante concessio dist. consequens, ergo non erit sufficiens signum distinctionis realis & formalis à priori, transeat a posteriori, nego consequentiam, & eadem distinctio currit in aliis assumptionibus usque, ad ultimam consequentiam, Quia ex separatione in esse jam explicata distinctio realis sufficienter discernitur à formali tanquam per signum à posteriori, & per diversitatem existentiarum tanquam per rationem à priori, quia diversitas exi-

stentiarum est veluti reale constitutum distinctionis, qualis autem sit diversitas existentiarum inter illa quæ distinguuntur realiter, & inter ea quæ distinguuntur formaliter, facile aliquis colliget ex iis, quæ dixi de diversitate rei & realitatis, nempe quòd res proprie dicta suam esse accipiat per veram causalitatem Physicam, seu postea se sola existere possit, seu non realitas verò non nisi per emanationem Metaphysicam cujus est realitas, seu formalitas, per quæ puto satis esse factum argumentis Oviedo. Attamen.

**Arguitur 3.** Omnis distinctio præter realem & modalem est per intellectum, ergo non datur distinctio formalis ex natura rei distincta ab illis, probatur ant. quia extrema sunt in re separabilia mutuo, vel non mutuo, estq; distinctio realis, vel modalis, vel non sunt separabilia & tunc non sunt ex natura rei distincta, quia nullum signum talis distinctionis apparet, ita arguit Suarez disp. 5. Met. sect. 2. n. 11. & sect. 1. n. 20. Attamen R. negando ant. cum ejus probatione, quia non sola separabilitas secundum existentiam est signum distinctionis ex natura rei, sed etiam diversitas definitionum per conceptus adæquatos, item contradictio reperta in eadem re inter diversas realitates, per quod patet falsum assumi à Suarez separabilitatem pro signo adæquato distinctionis realis, quia multa distinguuntur realiter, quæ tamen separari non possunt ut constat de toto & partibus in schola scotistica, de subjecto & passione, materia & forma in schola Thomistarum. Sed

**Instatur,** Distinctio illa formalis media apud nos non tollit identitatem in ipsa entitate rei, sic enim esset realis, sed solam identitatem conceptus, sed ad tollendam hanc identitatem sufficit distinctio rationis, ergo illa media erit adhuc distinctio rationis. R. concessa ma. dist. mi. sed ad tollendam identitatem conceptus sufficit distinctio rationis, quando inadæquato conceptu definitio explicat formalitatem, transeat mi. quando definitio conceptu adæquato secundum adæquatam conceptibilitatem explicat formalitatem nego mi. Itaq; quando aliqua dicuntur distingui formaliter, non sufficit quòd aliquid quomodoquocumque; concipiatur, sed requiritur quòd ille formalitates actu concipiantur, quarum una non est altera ut supra dictum est.

**Urgetur.** Definitio quæ conceptu adæquato explicat aliquid, explicat essentiam rei, ergo si illa censetur formaliter distincta quæ habent diversas definitiones secundum conceptum adæquatum, habebunt etiam essentias diversas ac etiam consequenter existentias, quia quamlibet essentiam sequitur propria existentia, ergo vel distinctio media erit realis, vel si ex diversitate definitionum non colligitur distinctio realis, erit rationis: consequenter stat argumentum, aut futuram realem, aut rationis, quia sine necessitate fieret talis multiplicatio. R. dist. ant. Definitio explicat essentiam rei, si definitio sumatur in rigore, quæ proprie constat genere & differentia, concedo ant.

VIII.

*Distinctio  
 formalis non  
 tollit identi-  
 tatem.*

ant. unde in tali casu verum est quod definitio arguat distinctionem realem, quia ista non convenit nisi rebus propriam essentiam & existentiam habentibus: Definitio explicat essentiam rei si in largiori sumatur acceptione prout est aliquid explicans conceptum quidditativum alicujus rei secundum propriam conceptibilitatem qualiscunq; sit, nego ant. Quae itaq; definiuntur per posterius definitionis genus non arguunt distinctionem realem, sed tantum formalem, adeoq; quia formalitates per hoc genus explicantur non distinguuntur realiter, nec tamen inde sequitur quod distinguantur ratione, seu per intellectum tantum: quia inter essentias quas existentiae consequuntur in rebus adhuc dantur realitates, quae quidem per veram Physicam actionem non producuntur, sequuntur tamen veluti propriae passionis per emanationem Metaphysicam, Quod bene notandum est, quia omnes quasi objectiones contra distinctionem formalem dabilem oriuntur ex equivocatione ly reale, quod sumi potest prout derivatur a re proprie dicta, quatenus res opponitur realitati, vel formalitati, vel sumi potest pro omni illo quod opponitur enti rationis, unde distinctio ita realis erit prouti principia realia fuerint, si enim principia realia fuerint primo modo distinctio erit realis proprie, si vero posteriori modo realia fuerint, distinctio non erit realis proprie dicta & simpliciter, sed secundum quid, seu ex natura rei formalis, hinc inquit D. 4. d. 46. q. 3. ad 1. quod pluralitas & numerus eorum quae ex natura rei tantum distinguuntur non est numerus & pluralitas simpliciter, sed tantum secundum quid, & quia talis est distinctio qualis est multitudo super quam fundatur ex 5. Met. 18. idem cum multitudo realitatum & formalitatum sit tantum multitudo & pluralitas secundum quid, talis erit quoq; distinctio super ipsam fundata.

IX.

Dico 3. Datur distinctio formalis praedicta

inter gradus Metaphysicos, genu scilicet & differentiam, inter naturam specificam & haecceitatem, item inter subjectum & passiones, ac etiam inter ipsas passiones & proprietates. Haec est Scotistarum post Scotum Magistrum, & probatur Conclusio 1. universaliter cum ex probationibus conclusionis prioris, tum quia inter ista omnia intercedunt diversi conceptus adaequatè conceptibiles, inter quos cum non versetur distinctio realis ac entitativa, necesse est ut intercedat aliqua alia, sed nullo alio potius quam formali, ergo, quod autem non intercedat inter praedicta distinctio realis, inde patet: quia nec separari possunt, nec se habent ut producens & productum causa & causatum, physice loquendo, Probatum Conclusio specialiter, quoad singula membra & primo quod inter gradus Metaphysicos sic. Si non daretur distinctio formalis & ex natura rei inter hos gradus, sequeretur unum non esse magis commune quam alterum, sed hoc est inconvenientissimum, & contra omnes qui tales terminos magis & minus communes admittunt, ergo. Prob. sequela, Quia si animalitas & rationalitas verbi gratia est eadem indivisibilis entitas nullo modo ex natura distincta, non esset signum alicujus

termini magis, vel minus late patentis, nam rationalitas aeq; late pateret ac animalitas; minor etiam probatur, Quia tunc non daretur ulla compositio Metaphysica, quia haec semper fit ex ratione communiori contrahibili, & alia contrahente, ergo. Prob. 2. eadem pars, praedicata contradictoria non possunt competere, uni eidemq; rei nullam in se habenti distinctionem ante opus mentis, sed animalitati & rationalitati, sicut & aliis gradibus Metaphysicis competunt ante omnem intellectus operationem praedicata contradictoria, ergo, prob. mi. Animalitas est principium conveniendi cum bruto, & principium sentiendi; rationalitas vero non est tale principium, sed esse principium conveniendi & non esse principium conveniendi sunt contradictoria, ergo animalitati & rationalitati conveniunt praedicata contradictoria.

Dices illa contradictoria quidem non verificari sine omni distinctione, sed sufficere distinctione rationis ratiocinatae per praecisiones objectivas. Sed contra 1. Quia videtur impossibile quodammodo dari praecisiones objectivas secundum conceptus adaequatos sine distinctione formali. Contra 2. Ergo per solam distinctionem rationis ratiocinatae verificari de eodem potest quod existat & non existat, quod si sequelam non admittunt sicut non possunt, manent adhuc obligati ad dandam disparitatem. Ockhamus respondet ad argumentum principale distinguendo illud universale Scoti principium, Non possunt verificari contradictoria de eodem sine ulla distinctione intrinseca negat, sine extrinseca concedit, quaestionem dicit fieri per praecisiones formales in ordine ad diversa connotata & effectus quos res respicit. Sed contra hoc argumentum facit, Quod conveniant aliqua contradictoria rebus quae non conveniunt formalitati esse rei per ordinem ad diversos effectus, ergo solutio nulla, prob. ant. Animalitati convenit intrinsece reperiri ubi non convenit reperiri rationalitati, & contra, sed haec contradictoria non conveniunt ipsis per ordinem ad ullos effectus, quia etiam si nullus haberetur conceptus ad effectus quos possunt causare, adhuc homo haberet conceptus hujus contradictionis.

X.

Dices; Animalitashominis non reperitur in bruto. Contra saltem similis reperitur in bruto, sed nihil simile rationalitati reperitur in bruto, ergo animalitati, secundum se & ab intrinseco convenit esse simile, cui non convenit esse simile rationalitas.

XI.

Dices secundò; principaliter contra probatam conclusionem partem, si animalitas distingueretur a rationalitate, esset indifferens ex se ut esset in homine, vel in bruto, sed hoc est absurdum, prob. mi. si animal esset indifferens ad hominem & ad brutum similiter ratio entis & substantiae quae reperitur in Deo, angelis, & anima rationali erit indifferens ex se ut sit in lapide & ligno, &c. & sic nec Deus, nec angeli essent entia spiritualia, quandoquidem includerent conceptum objectivum qui potest esse in lapide: prob. sequela, Nil potens esse in lapide est spirituale, ergo si conceptus

XII.



objectivus entis, vel substantiæ, quæ est communis univocè Deo, angelis &c. potest esse in lapide, nec Deus nec angeli erunt entia spiritualia, & consequenter gradus ille entis vel substantiæ reperiuntur in Deo communis univocè ipsi & lapidi nec erit creatus nec increatus, nec spiritualis nec materialis. *¶* negando mi, cuius probationis concedo ant. & nego hinc sequi nec Deum nec angelum fore entia spiritualia, ad Probationem *¶*. dist. ant. Nil potest esse in lapide est spirituale realiter concedo ant. de se formaliter consideratum nego ant. & consequentiam. Itaque dico quod sicut conceptus objectivus animalis de se formaliter consideratus non est rationalis nec irrationalis, sed in differens ad utrumque; ita conceptus entis communis Deo & creaturæ ex se formaliter consideratus nec est spiritualis, nec materialis, nec creatus, nec increatus, sed indifferens ad utrumque; & quemadmodum animal contractum ad rationalitatem est realiter rationale, ita gradus entis contractus ad Deum & angelum est realiter spiritualis, & contractus ad lapidem est realiter materialis.

XIII. Probatur 2. p. Conclus.

Natura humana verbi gratiæ in Socrate est singularis in ipso, sed illa natura non est singularis se ipsa, ergo per aliquid aliud præter ipsam, sed illud quidquid est: (est autem hæc entitas) est ipsi realiter identificatum, & tamen tunc in natura reperitur aliud & aliud, inter quæ distinguendum necesse, sed non realiter, quia nulla natura humana est sine singulari, nec per rationem, ergo per distinctionem mediam formalem: probatur mi. principalis, Quia si de se natura illa esset singularis, non posset habere plura individua quod est absurdum, probatur sequela, Quia quod est de se hoc est immultiplicabile, quia individuum est quod de uno solo prædicari potest, ergo tunc non posset nisi de uno solo prædicari. Confirmatur Quia natura divina ideo de se est immultiplicabilis, quia est de se hæc, ergo si natura humana etiam esset de se hæc, esset quoque immultiplicabilis.

XIV. Probatur 3. p. Scilicet quod passionibus distinguantur à subjectis verbi gratiæ ab anima distinguitur formaliter intellectus & voluntas, intellectus & voluntas possunt demonstrari de angelo & anima rationali, sed nihil idem demonstrari potest de se ipso, ergo demonstrantur de anima veluti de alio, sed non demonstrantur veluti de realiter distinctis, ergo veluti formalitates ab ipsa anima & angelo formaliter distinctis. Confirmatur Quia passionibus in secundo modo dicendi prædicantur, & insunt subjectis, essentia autem in primo modo, sed nil in est alteri primo modo & secundo simul, quia nihil potest sibi ipsi & ad se ipsum esse prius & posterius, ergo distinguuntur, redit consequentia prior

XV. Probatur ultimæ pars. Ratio potentia seu principii activi contrahitur per differentias summè oppositas, ergo ipsæ potentia debent esse inter se oppositæ, probatur ant. quia contrahitur per liberum necessarium, hæc autem summè diversa sunt, ergo etiam intellectus & voluntas inter se erunt diversæ, probatur consequentia, quia intellectus est potentia

necessario agens, voluntas verò libera positus omnibus requisitis ad agendum potens agere vel non agere, Qui super hæc plures probationes cupit, videat Authores passim, imò supra posita argumenta cuilibet parti applicare poterit, maxime tamen illud quod defumitur ex via per contradictionem. Nam de qualibet parte poterit dicere, implicare ut de una eadem reverificentur & prædicentur duo contradictoria, sed de his satis; restat adhuc resolvenda alia difficultas, nimirum utrum hæc eadem distinctio detur in divinis? Scotistæ quidem omnes universaliter affirmant, negant Neoterici, vel diversimodè explicant & retorquent argumenta ne nobiscum in terminis consentire cogantur, qui frequenter in re non discrepant, sed sit Conclusio ultima quæ

DICO 4. Eadem distinctio formalis scotistica reperitur inter essentiam divinam & attributa, & inter attributa inter se. Hæc est etiam Scholæ Scoticæ, & Probatur Conclusio 1. Autoritate sanctorum Patrum D. Aug. 7. Trinit. cap. 5. ubi ait non eo Pater quo Deus, nec eo Deus quo Pater; ergo à Parte rei est aliqua distinctio inter Deum & Patrem in sententia D. Augustini, quia si nulla esset omnino distinctio, jam eo ipso quo Deus est, Pater esset. Item D. Damasceni lib. de fide cap. 4. ubi ait, si dixeris bonum, iustum, &c. non naturam Dei sed quæ circa naturam sunt dices ergo secundum D. Damascenum bonitas, iustitia &c. idem est iudicium de aliis attributis Dei, est aliqua distinctio ex natura rei non realis, quia in divinis omnia sunt idem nisi ubi obviat relationis oppositio, ergo formalis; nam rationis esse non potest, nisi dicere quis vellet Deum esse iustum iustitiæ facta; ac facta per nostrum intellectum. Probatur Conclusio 2. Ratione 1. Essentia divina & Paternitas verbi gratiæ distinguuntur ante omnem operationem intellectus, sed non realiter ergo formaliter: Probatur ma. Essentia divina est communicabilis & identificata filio, Paternitas non est communicabilis & identificata filio, sed impossibile est idem sine ulla distinctione esse verè & realiter communicabile & identificatum, & non identificatum; ergo impossibile est essentiam divinam & Paternitatem nulla distinctione ante opus intellectus nostri distinguere. Probatur 2. Pater distinguitur realiter à filio, ergo debet habere aliquid actu per quod distinguatur à filio, sed non haberet si essentia non distingueretur à Patre, ergo, probatur subsumptum: Quia essentia eadem est in Patre & in filio; tertio. De fide est Verbum seu Filium produci per intellectum, & non per voluntatem, & Spiritum sanctum produci per voluntatem, & non per intellectum, idque sine dubio ante omnem operationem intellectus nostri, ergo intellectus & voluntas ante omnem operationem intellectus nostri distinguuntur; subsumptum est de fide, probatur consequentia, Implicat aliquid produci per unam potentiam ex duabus identificatis, & non produci per alteram, sed secundum fidem aliquid producit per intellectum quod non producit per voluntatem, & aliquid iterum per voluntatem quod non producit per intellectum, ergo impossibile est quod sibi sunt formaliter identificata. Confirmatur Conclusio,

XVI.

Distinctio  
formalis re-  
peritur etiam  
in Dio.

clusio, (pertinet hæc confirmatio ad primam probationem) Ex Concilio Toletano in definitione de fide in confessione fidei dicente, Quod relationes divinæ numerentur, essentia non, quod essentia non generet Pater vero sic, ergo. Visis hisce argumentis Ockhamus falsus est in divinis dari distinctionem formalem, secus tamen esse in humanis, sed quis nō videt rem ridiculam in Deo simplicissimo admittere veritatem duarum propositionum contradictoriarum, & non admittere pariter in humanis, non ne homo componitur Deo excellentiori modo? Jesuivæ efficaciam videntes admittunt aliquam quidem distinctionem, sed ne reales sint cum Franciscanis, virtuales eam post Cajetanum appellat, sed dicitote mihi illa distinctio virtualis vel fit cum operatione intellectus, vel est in dependentē ab ipso; si primum, erit rationis ratiocinata, adeoq; duo contradictoria eidem convenire non poterunt: si secundum quid quæso dicit Schola Scoti, nonne idem? quid ergo palliat veritatem virtuali verbo? Attamen Jesuivæ quia sententiam nostram rationibus oppugnare non possunt, ideo solita censurandi libidine fugillare & cavillare nituntur, quod ex pugnare desperant, Itaq; contra Conclusionem ultimam.

**Opponunt 1.** *Authoritatem Concilii Florentini, scilicet ultimat, ubi habetur quod inter personas & essentiam non sit nisi distinctio rationis, & in eodem Concilio in quadam Disputatione Theologica, inter Joannem, qui partes Latinorum defendebat, & Marcum qui stabat pro Græcis habetur, Ergo personæ & essentia secundum modum nostri intellectus tantum concipiuntur. Secundum in Conclusio Rhemeni damnata est sententia Gilberti Porretani, asserentis Deum esse suam sapientiam, contra quam sententiam etiam acris invehitur D. Bernardus signanter serm. 80. sed sententia Scoti idem docere videtur, ergo etiam videtur esse damnata. Sed dedignor cavillationibus chartas implere, & fufius in Adversarios invehere; quamvis forte abs re non esset, juxta illud, Responde stulto secundum suam stultitiam, ne forte superbiat, Attamen modestiæ conformius est ablutatibus similibus immotis relictis, ne majorem excitent fœtorem, pertransire silentio, & ad ipsa doctrinalia accedere, unde R. ad Concilium Florent. 1. Id tantum in eo fuisse agitatum, nihil tamen fuisse resolutum. 2. Casu quo aliquid resolutum esset, Concilium per distinctionem rationis non intellexisse aliud, quàm distinctionem quæ non est strictè realis, illa autem est nostra formalis: nam hic erat oppositus sensus erroris, quem damnabant: quia error assererat esse strictè realem distinctionem, Et similiter intelligendi sunt omnes sancti Patres, qui frequenter in oppositum citantur, quia aliud non negant quàm quod non detur in divinis distinctis strictè realis inter attributa, Et quando D. Damascenus dicit *Essentiam à personis distingui cogitatione*, verum est, sed non tantum; vel intendit dicere, quod cogitatio inveniat fundamentum illa distinguendi inter se, ex eo quod competat eis prædicata contradictoria ante opus intellectus. Vel dic ad Concilium, quod inter illa sit distinctio rationis, id est:*

quam recta ratio admittit, non verò quæ fabricetur per solam rationem. R. similiter ad Concilium Rhemense, nam illud damnavit sententiam Gilberti asserentis inter Deum & sapientiam esse distinctionem realem, quod nunquam somniavit Scotus, sed contrarium veluti verus filius Ecclesiæ tenuit identificata realiter sibi invicem esse omnia attributa, quamvis formaliter sint distincta, Imò Neoterici dicentes Scotum fuisse Authorem distinctionis formalis sibi contradicunt, dum asserunt esse eam damnatam cum Gilberto, si enim fuit damnata cum Gilberto, jam Scotus ejus author non fuit sed Gilbertus, qui longè ante Scotum vixit. Unde

**Instant Gilbertum non voluisse affirmare inter attributa distinctionem realem sed formalem, ergo Scotus cum eo coincidit, probatur ant. quia non potuit affirmare quod sapientia Dei distingatur realiter ab ipso Deo, siquidem hoc non vidit; R. hoc non obesse quod non viderit quin affirmaverit, nam defacto Thomista plurimi non viderunt potentias animæ separatas ab ipsa anima, & tamen inter potentias & animam asserunt distinctionem realem, ergo & Gilbertus potuit facere hoc, sicut & revera fecit.**

*Diversus sensus & mens est Scoti, à mente Gilberti.*

**Arguitur 2.** *Ex ratione Si daretur distinctio formalis inter attributa divina, daretur in Deo compositio saltem Metaphysica, verbi gratiâ, Ex essentia & sapientia, sed hoc est in convenientissimum dicere ergo: probatur mi. tum quia contrarium omnes sancti Patres clamant & prædicant, Concilia determinant, tum quia omnis multiplicitas opponitur summe simplicitati, quo in Deo est ergo. R. duplicem esse compositionem una est quæ dicit imperfectionem, & altera quæ dicit perfectionem, & nullam dicit imperfectionem; prima est verbi gratiâ compositio animalis & rationalis, secunda est quæ inter essentiam divinam & attributa invenitur: unde quando Patres & Concilia dicunt Deum esse simplicissimum non esse compositum ullo modo, intelligi debent de compositione quæ argueret imperfectionem, & de simplicitate quæ dicit negationem omnis distinctionis involvens imperfectionem, & hinc in forma cum Pontio R. distinguendo ma. sequeretur in Deo compositio accepta compositione pro unione distinctorum formaliter sine ulla imperfectione, concedo ma. compositio dicens imperfectionem, nego ma. per quam distinctionem & præmissam explanationem patet quid dicendum sit ad minorem, ejusq; probationem. Quod si queras quare pluralitas in Deo non involvat imperfectionem, & tamen involvat in creatis eadem pluralitas formalitatum? R. 1. cum Scotistis communiter ideo in creaturis multipliciter formalitatum, quia in creatis una formalitas perficitur ab alia, seu una dicit potentiam ad aliam per modum perfectibilis: sic animal dicit potentiam ad rationalitatem, à qua perficitur, in DEO autem non dicit talem potentiam ad aliam, adeoq; nulla involvitur in eo imperfectio. Pontius responderet ideo unionem plurium formalitatum in creatis dicere imperfectionem, quia illa unio habet dependentiam in esse realis existen-*

**XVIII.**  
*Distinctio formalis non facta in Deo compositionem.*

**XIX.**

existentiæ à causa extrinseca, unde unio formalitatum quæ est in Deo non dependet in esse realis existentæ à causa extrinseca, nullam in Deo dicit imperfectionem sed perfectionem, perfectionis enim est omnia quæ aliquis habet habere à se, & non ab alio: & imperfectionis est non habere à se, nec posse habere, sed debere habere ab alio; Verumtamen principale argumentum continuando

**Instatur** Sequeretur quòd de essentia divina posset sine imperfectione prædicari quòd non sit formalitèr sapiens, sed hoc est absurdum ergò, probatur mi. quia sic non esset à se, sed ab alio sapiens formalitèr ergò. R. concessa majori, quod scilicet possit dici de essentia divina quòd pro formali non sit sapientia, sufficit quòd realitèr & fundamentalitèr sit sapiens, ad probationem minoris Respondeo dist. Non esset à se sed ab alio formalitèr sapiens, id est ipsa essentia non esset formalitèr sapientia, concedo ant. non esset à se, sed ab alio realitèr distincto, nego ant. probationis.

**Urgetur** Ergò si pro illo priori non est formalitèr sapiens, erit formalitèr non sapiens, quòd quantum sapiat gustent Scotistæ: verum R. distinguendo illatum, erit formalitèr non sapiens, id est negatio formalis sapientie erit de conceptu essentia, nego illatum, erit formalitèr non sapiens, id est: non considerabitur sub formali sapientia concedo illatum, sufficit ergò quòd aliquo priori sit fundamentalitèr sapiens: nam in tali fundamentali sapientia consistit omnimoda perfectio, utpotè à qua aliæ omnes promanant.

**XIX.**

*Distinctio formalis bene salvat difficultates in Mystero Trinitatis.*

**Arguitur** 3. cum Oviedo ex Mastro, ubi conatur argumentum Conclusionis nostræ in fringere; Ideò hæc distinctio formalis à Scoto potissimum ex cogitata est, ut salventur quedam difficillima in Mystero Sanctissimæ Trinitatis, scilicet quomodo Relationes sint realitèr cum essentia, & tamen essentia sit communibilis pluribus, & non sic relationes &c. sed hæc distinctio nihil juvat, imò lædit mysterium Trinitatis, ergò non est admittenda: probatur mi. tum, quia sic in Deo Paternitas & Deitas erit duplex entitas, quarum una ante operationem intellectus non est alia, quæ si distinguuntur, distinguuntur realitèr, non formalitèr, Quæ entitates nequibunt coalescere in unam, quæ simpliciter una est, si una non habeat se per modum actus & potentie: si enim utraq, se habeat per modum actus, non fiet unum aliud, quàm aggregationis, si ergò essent duæ entitates Deitas & Paternitas, necessè erit aut quòd una se habeat per modum actus, & potentie, altera quòd est imperfectionis, aut non erit Deus unus nisi aggregatione, Deniq, unaquæq, ut distincta ab alia erit entitas incompleta, quia cum alia veluti comparte constituet ens unum integrum, & unum simpliciter quòd ante operationem intellectus erit veluti unum compositum, ergò hæc distinctio non juvat, sed potius lædit mysterium Sanctissimæ Trinitatis. R. ad majorem principalitèr quòd non præcisè propter mysterium Trinitatis hæc distinctio adinventata sit, sed propter necessitatem etiam in creatis ad salvandam præcipuè metaphysicam

compositionem, ita qui eam in divinis non vellet admittere, adhuc teneretur in humanis, verumtamen pronunc concedo ma. & nego mi. ad cuius primam probationem dico distinguendum esse primam assumptionem, Essent in Deo Paternitas & essentia duæ entitates & res, prout lato vocabulo entitas & res appellatur; omne id quòd habet esse ante operationem intellectus nostri, concedo ant. & tali modo relationes aequalitèr res appellari possunt: Essent duæ entitates & res, prout res accipitur ordinariè ut contradistinguitur à modo, nego ant. Et in tali acceptione vocabuli rei, Relationes non dicuntur res; Quare Scotus quodlibeto 3. dicit personalitates divinas in se spectatas quatenus ab Essentia præsciunt, nec rem, nec ens, nec entitatem appellari, sed solas habitudines rei & entis existentis, Imò solemiores Scotistæ negant illas esse formalitèr entia, & in recto: quia sunt ultimò constitutivæ divinarum personarum, & de ultimò constitutivis docet Scotus 1. d. 3. q. 3. sub litt. E. non esse formalitèr entia. & quidditative, sed tantum realitèr ac identice, quia ergò Paternitas ut distincta à Deitate non est una res vel entitas aut ens, sed tantum ejus formalitas in ipsa immersa per realem identitatem, distinctio inter illa reperta non est realis vel entitativa, Ex quo patet quid dicendum ad alterum, nempe quòd illæ duæ entitates nequibunt coalescere in unam, nempe falsum esse in illimitatis & infinitis, quamvis valeat in entitatibus finitis & limitatis, ubi neutra habet totalitatem essendi: quare ut unum per se constituat, necessariò unum debet concurrere per modum actus & potentie, hinc quamvis Deitas & Paternitas sint entitates formalitèr distinctæ, sunt tamen perfecta identitate sibi realitèr identificata, quæ identificatio perfecta ex unius vel amborum extremorum ex orta impedit omnimodam compositionem, & facit personam ex essentia & relatione constitutam esse per unam unitate simplicitatis & identitatis, non verò unionis & compositionis. Ad alteram etiam minoris probationem R. negando assumptum, & consequentiam. Quia pars ut pars ab eo exceditur, cuius est pars, & idèd dicitur incompleta, essentia autem divina ex se ponitur formalitèr infinita, unde omninò ei repugnat habere rationem partis, Tum quia ad constitutionem divinæ personæ veniunt essentia & relatio potius ut realitèr identificata, quàm ut formalitèr distincta, & idèd neutra habet rationem in completi.

**Instatur;** Compositio est distinctorum unio, ergò si persona in divinis constituitur ex essentia & relatione ex natura distinctis, necessariò erit composita ex ipsis R. negando ant. simpliciter loquendo, sed Compositio est verè componibile distinctorum unio, quæ ea ratione qua finita sunt & limitata ordinantur ad perfectionem alicujus tertii constituendam.

**Instatur denuò?** Ut duo extrema sint verè componibilia, sufficit distinctio formalis ex natura rei, ut constet de realitatibus metaphysicis, quæ veram faciunt compositionem ob talem distinctionem formalem R. negando ant. Nam idèd realitates metaphysicæ efficiunt compo-

compositionem, quia una est potentialis ad alteram, quod dici non potest de essentia & personalitate in divinis, cum ambo sint in ultima actualitate.

Urgetur; Quod ex realitatibus Metaphysicis una sit potentialis ad aliam, id est: quia ex natura rei formaliter distinguuntur, sed idem erit de essentia, & relatione si ponantur formaliter distinctæ, ergò & negando ma. Potentialitas namq; relationis genericæ non provenit ex distinctione earum formali, sed ex imperfecta earum identitate reali, quia habent realitatem mendicantam à tertio, à quo si abstrahantur, non erunt amplius realiter idem ut docet Doctor in 1. d. 8. q. 3. non sic autem est de essentia divina & relatione, quæ inter se identificantur ratione infinitatis, ideoq; earum realis identitas est perfectissima & summa, & consequenter tollit omnimodam potentialitatem unius realitatis ad aliam, quia nulla res est in potentia ad se ipsam, nec à se ipsa perfectibilis.

QUÆSTIO V.

De Distinctione Rationis.

Pro majori Intelligentia tam dictorum quam dicendorum, abs re non erit notare prius quid Thomistæ & Neoterici, per præcisiones intelligant, quarum frequentissimam faciunt mentionem; Itaq; per præcisionem nihil aliud intelligunt, quam actualem separationem intellectualem unius ab alio per unicum conceptum, atq; idè volunt præcisionem esse aliam à distinctione rationis, quia hæc involvit conceptus diversos, quibus eadem res realiter indivisibilis cognoscitur alio & alio modo; Estq; duplex præcisio: una formalis & altera objectiva, Formalis est, quando intellectus intelligit unam eandemque rem in divisibilem in se cum ordine ad aliquas operationes, quas elicere potest sine ordine ad alias, verbi gratiâ, si intellectus consideret voluntatem in ordine ad volitionem, & sic in illo voluntas esset præcisâ à se ut est principium nolitionis, & idè hæc præcisio dicitur formalis, quia res tantum in intellectu est divisa in ordine ad diversa connotata, quæ respicit. Objectiva præcisio secundum Thomistam est, quando intellectus concipiens diversas operationes, aut connotata unius rei in se indivisibilis, & ante cognitionem earundem unam formalitatem in illa re concipit, quæ esset principium operationum aliarum, non concepta alia formalitate, quæ esset principium aliarum operationum, ita ut non solum actus intellectus sit præcisivus, aut connotata illius rei sint diversa, sed etiam quòd in ipso objecto directè una formalitas præscindit & cognosci possit, non cognita aliâ, Quod revera coincidit cum distinctione formali (un-

de etiam Neoterici nullam admittunt præcisionem objectivam) nisi fortè recurrerent Thomistæ ad conceptus suos in adequatos, & ita fiet ut præcisiones formales coincidant cum distinctione rationis ratiocinantis & præcisiones objectivæ cum distinctione rationis ratiocinata: quidquid tamen sit, quomodo coincidant aut distinguantur, ad nostram materiam progredior. Itaq; distinctio rationis est, quæ nõ inest rebus quæ distinguuntur prout sunt in se, sed tantum prout subsistant conceptibus nostris, Et hæc est duplex una rationis ratiocinantis, altera ratiocinata; Prima est quæ fit ab intellectu nullo habito fundamento in re, quæ ut distincta concipitur, & talis est, quando in aliqua propositione identica idem nunc concipitur sub ratione prædicati, & statim etiam sub ratione subjecti, verbi gratiâ dicendo Petrus est Petrus, nec valet dicere quòd tunc sit mera terminorum repetitio, aut illam distinctionem si quæ intercedit non cadere supra Petrum, sed supra secundas intentiones, Quia repetitio est quando idem objectum semel & bis ac etiam tertio eodem modo concipitur, ut si diceret Petrus & Petrus & Petrus; dum verò dicitur Petrus est Petrus jam primâ vice concipitur Petrus ut subjectum, & altera vice ut prædicatum, unde non solum pluries concipitur sed etiam ut plures: quia intentionaliter geminatur, ut subsistat diversis intentionibus subjecti & prædicati, Nec illa distinctio cadit super conceptus formales, quia tunc esset distinctio realis; nec propriè supra secundas intentiones, sed supra rem ipsam conceptam, quatenus habet esse objectivum in intellectu, ita ut propriè idem dicatur à se ipso distingui non secundum esse reale, sed secundum esse objectivum & intentionale. Distinctio rationis ratiocinata est, quæ fit per intellectum cum fundamento in re ipsa quæ distinguitur, & dicitur rationis, quia formaliter & actu non est in rebus, sed fit & actuatur per rationem; dicitur verò rationis ratiocinata, quia est quasi inchoata à parte rei, etsi complementum ab intellectu recipiat, quatenus res circa quam versatur intellectus præbet occasionem, seu fundamentum talis distinctionis propter eminentiam suæ naturæ de qua intellectus format conceptus in adequatos, id est quibus non exprimitur totum id quod est in re, nam licet singuli aliquid attingant in re, nullus tamen seorsim sumptus adequat totam naturam & rationem objectivam rei, sic Thomistæ distinguunt attributa in divinis, & gradus Metaphysicos, & hæc distinctio cum virtuali coincidit, non tamen cum formali, ut volunt nonnulli, quia hæc versatur inter conceptus adequatos, non verò in adequatos.

Describitur & dividitur distinctio rationis.



# DISPUTATIO III.

## DE ENTE RATIONIS.

**B**ona ventura, Baro, tractans hanc materiam Apolog. Metaph. Incidentali prima, Baclione prima, existimat titulum hunc non debite proponi de ente rationis, sed potius debere proponi de ente irritio, ratio ipsius est, quia non sola ratio fabricat hoc ens, sed etiam aliæ potentia interiores; verum tamen novum non est quod totus aliquis tractatus intuletur de principalissima specie materia illius, circa quam versatur, unde manendum cenſeo potius in terminis Majorum noſtrorum, & maxime vel hinc cum plurimi tam Scottiſta quam alii negent ens rationis proprie fieri poſſe aliter, quam per intellectum, quàm declinare ad affectatas & apparentes novitates, quæ tamen non ſunt quid novi in re, & ſi quis adhuc materiam hanc intitulet de ente irritio, credo quod adhuc intelligeret contra Baronem ex vacua olla contrarium exiſtimantem, ſed ad rem progrediendo ſit.

### QUÆSTIO I.

An detur Ens Rationis?

I.

Ens rationis  
varie accipi  
poſeſt.

Ad quæſtionis Statum exactius

cognoscendum. Adverte ens rationis in rigore derivari à ratione vel ab intellectu, eò quod ab ipſo fiat, vel in ipſo inſit; unde multipliciter accipi poſeſt, primò enim ſignificat omne illud ens quod poſeſt produci à ratione, ſeu ab intellectu per verum & realem ac Phyſicum influxum, quales ſunt omnes actus intellectus, & omnes alii actus, qui per directionem intellectus producentur; Secundò per ens rationis ſignificatur omne illud, quod ſubjectatur in intellectu & ab eo recipitur, & in hoc ſenſu appellantur actus, habitus, & ſpecies intelligibiles entia rationis, eò quod in ratione ſeu in intellectu ſubſiciantur; tertio ens rationis accipitur pro eo, quod obicitur intellectui, ſeu quod conſideratur & intelligitur ab intellectu, & in hoc ſenſu omnia entia realia poſſunt vocari entia rationis, quia illa omnia intellectui obſciantur; quartò ſignificatur per ens rationis illud, quod non habet eſſe à parte rei, eſto illud habere poſſit, ſed pro nunc tantum habet illud in intellectu, & ſic Anti-Chriſtus & homo qui poſt centum annos naſcetur, imò omnia entia poſſibilia dicuntur eſſe entia rationis, quinto deniq; ens rationis prout ad noſtrum ſpectat propoſitum eſt illud, quod nec exiſtit à parte rei, nec exiſtere poſeſt, & habet ſuum eſſe tantum obſcive in intellectu, & in hoc ſenſu de ente rationis agam in hac diſputatione. Et juxta hanc multiplicem acceptionem entis rationis multipliciter dicuntur aliqua dependere à ratione, ſeu ab intellectu; effectivè ſcilicet, directivè, ſubjectivè, & obſcive, ut bene notat Comptonius, effectivè dicuntur ea pertinere & dependere ab intellectu, quæ ab ipſo met eliciuntur, directivè, quæ ab ipſo effectivè & ſimul ab alia potentia producentur, ſubjectivè ea dependent, quæ in ipſo intellectu recipiuntur, obſcive verò quæ ipſi cognoscenda & intelligenda obſciantur, ut ſunt omnia entia realia, & quæ ſuum eſſe ab ipſo recipiunt, & ſunt entia illa quæ vocantur rationis. Itaq; circa materiam propoſitam duplex eſt ſententia, Prima negat

dari entia rationis, ita Paulus Venetus, Valerius q. I. Philoſ. Bernardinus Mirandulanus, in expoſitione prædicamentorum, & eam tanquam probabilem tenet Franciſcus Majoranius vocatus Doctòr illuminatus q. 1. quodlib. Secunda ſententia huic ex diametro oppoſita admittit dari entia rationis, quæ eſt in Scholis communiffima & ab omnibus quodammodo recepta, cum qua reſolutivè ad quæſtionem

DICO Dantur entia illa quæ communiter vo-

II. *Datur Entia rationis.* Ita Doctòr in I. d. 36. n. 9. ubi diſtinguit ens, in ens extra animam & eſt reale, & ens in anima quod eſt ens rationis. D. Thomas opuſculo 4. cap. 1. ubi dicit hæc entia tunc eſſe, cum intellectus fingit per modum entis id, quod non eſt. Eſt etiam Concluſio noſtrorum Sanctorum Philoſophorum Hypponenſis & Claravalleniſis, nam D. Aurelius tract. 19. & 40. in Joannem Entia hæc figmenta, idola cordis, nugæ, phantaſias, humanas cogitationes, & volaticas cogitationes appellat, D. Bernardus verò tractatu de Conſcientia cap. 6. vocat talia intellectus figmenta cogitationes diſſentorias, quas dicit eſſe quando de longinquis rebus & regionibus & regnis diſponit & tractat, longinquiſſima autem regna ſunt & regiones, quando concipiuntur montes anrei, arces & urbes in aère, item in tract. de gradibus ſuperbiæ & humilitatis invehitur graviter, quod Lucifer æqualitatem Dei appetierit, quæ appetentia in probabili ſententia de qua infra agam, eſt ens rationis ergò. Sed probatur Concluſio ratione; Quia formantur de variis entibus propoſitiones, quorum exiſtentia non eſt realis, ergò illa entia erunt ficta & rationis: probatur conſequentia. Quia intellectus tales propoſitiones formando, non concipit proſus nihil, ergò quandoquidem id quod concipitur non eſt ens verum & reale; erit ſaltem ens ſecundum noſtrum concipiendi modum, & illud vocatur ens rationis, ant. eſt manifeſtum: quia quando dicitur chymæra eſt animal, & c. chymæra non eſt ens reale, ergò erit ens rationis. Probatur ſecundò ad hominem; *Quæro* à te, datur ne propoſitio contradictoria huic: Non datur ens rationis, ſi negas impingis contra prima principia; ſi admittis ergò etiam concipis

concepis dari ens rationis, quæ est propositio contradictoria alteri. Neq; dicas te negativè concipere; nam quæro ly negativè tenet ne se vel ex parte cognitionis, vel ex parte objecti; si hoc, æquivaleret huic propositioni, Concipio non dari ens rationis, & nonne vides quod hæc propositio non sit contradictoria illi, quam dicebas & cogebaris dicere esse possibilem? si primum, evadet hæc propositio, non concipio dari ens rationis, si verò non concipis, quare ergò illud negas. Si dicas nego illud, quia concipio entia realia quæ non sunt entia rationis, & hoc non solvit difficultatem, sed convincit intentum, nam quæro iterum illa negatio vel cadit super ens rationis, vel super ejus negationem, si secundum erit hic sensus entia realia non sunt entia rationis, ubi ego infero, ergò hæc sunt & dantur, dñæ enim negationes faciunt unam affirmationem, si primum, ergò dantur entia rationis: quia negatio non cadit super negationem, sed super positivum. Probatur Conclusio tertio; Hæc propositio est vera, Deus per suam entitatem excludit alium Deum, ergò hic ex parte objecti representatur alius Deus, nempe falsus & chimericus, quod est ens rationis, cui implicat existere, Nec satis faciunt Adversarii respondendo quòd representetur verus Deus, & vera aleitas; quia si hoc esset, tunc propositio data supra esset falsa, quia quod revera est non excludit Deus, sed ei necessariò coexistit, quòd si contendat, quòd quidem eis, id est vero Deo & veræ aleitati, coexistat, non tamen eis simul unitis, faciunt & probant nostrum intentum, quia sequitur quòd ex parte objecti representetur unio aliqua facta, Et si dicunt quòd unio non sit ex parte objecti, sed quòd sit actus intellectus veram aleitatem vero Deo intentionalitèr conjungens, contra hoc facit quòd propositio illa Deus per suam entitatem excludit alium Deum sit falsa, cum omni veræ aleitati reali, actu intellectus, & vero Deo Deus coexistat, Ita ut si alius Deus in conceptu suo nihil aliud dicit, quam veram aleitatem, verum Deum, & verum actum intellectus, ergò datur à parte rei alius Deus, hæc enim omnia à parte rei existunt.

III. DICES; Alius Deus in conceptu suo dicit verum Deum, veram aleitatem, & actum intellectus falsum, seu falsò illa intentionalitèr unientem. Contra hinc non evitatur difficultas: verus etenim Deus, vera aleitas, & actus falsus illa falsò uniens existunt à parte rei, si ergò conceptus alterius Dei objectivus nihil in se aliud quam hæc involvit, datur à parte rei alius Deus

IV. DICES; Existunt quidem verus Deus & aleitas, sed non eo modo quo per actum representantur. Contra Respondendo, quæro ille alius modus vel est quid possibile, vel impossibile; si secundum, ergò datur objectum impossibile, si primum recurrit difficultas, omni enim possibili coexistit Deus, ergò alium Deum non excludit, consequenter propositio ista Deus per suam entitatem excludit alium Deum, est falsa, quæ tamen est certissima, adeoq; contradictoria erit vera Deus non excludit alium Deum, quæ est planè falsissima. Et si adhuc te

F. Amandi Hermann Logica.

exsolvere coneris dicendo, quòd modus ille alius non teneat se quidem ex parte objecti, sed ex parte actus nihil facis; quia cum modus non distinguatur ab entitate actus, modus ille existet à parte rei, adeoq; quidquid est de conceptu essentiali alterius, Dei à parte rei, existit, & consequenter alius Deus existit à parte rei, quòd Catholicus animus abhorret, quoniam dicit Deus per Prophetam Deut. 32. v. 39. Non est alius Deus præter me.

Arguitur contra Conclus. I.

Quod est impossibile non potest concipi nec intelligi, sed ens rationis est impossibile, ergò non potest concipi, nec dari poterit consequenter; minor patet, quia ens rationis est illud quod nec est nec esse potest, major verò probatur, quia intelligi sequitur esse, & solum ens reale est objectum adæquatum intellectus, sed ens rationis est impossibile realitèr, ergò etiam mentalitèr. R. negando ma. magis enim latè patet intelligibile, quàm possibile, nam omne possibile est intelligibile, non tamen omne intelligibile est possibile, nùm possit intellectus fingere quod nec est nec esse potest, quòd autem objectum solum intellectus sit ens reale verum est, loquendo de objecto per se, non verò de objecto per accidens: per accidens enim potest etiam cognoscere alia, quàm entia realia.

V. Impossibile potest concipi.

Instatur; Omne intelligibile prius est quàm intelligatur etiam per accidens, sed ens rationis non est prius quàm intelligatur etiam per accidens, ergò non potest esse objectum intellectus etiam per accidens. R. disting. ma. Omne intelligibile est prius quàm intelligatur in esse possibili, seu essentia concedo ma. in esse existentia nego ma. & distincta sic minori, negatur consequentia. Imò si alitèr respondere velles simpliciter majorem negare poteris, tum quia Deus ab æterno se & omnes creaturas cognovit antequam essent, tum quia actus practicus est causa sui objecti, adeoq; illo prior, unde quando dicitur quòd objectum debeat esse prius actu, intelligendum est de objecto motivo, non verò terminativo. Sed contra Respon- sionem primam

Urgetur. Hæc prioritas in esse possibili non sufficit, ergò nulla solutio: probatur ant. Quia juxta tritum & vulgatum Philosophorum, nihil est in intellectu quòd non prius fuit in sensu, ergò esse prius in esse possibile non sufficit, sed requiritur esse existentia à parte rei, consequenter quia ens rationis non fuit prius in esse existentia, cognosci non poterit, nec consequenter poterit dari. Verum R. negando ma. ad probationem dico primò, quòd nimium probet si quid probat. nam hinc etiam sequeretur quòd nec Deus, nec angeli, nec gratia cognosci posset, cum ista omnia sensum effugiant, unde dico secundò illud axioma hunc habere sensum, & intelligentiam, quòd nihil sit in intellectu quòd non prius fuit in sensu, vel per se, vel per aliud, ad cujus similitudinem formatur, unde R. in forma dist. probat. majorem, nihil est in intellectu quòd non prius fuit in sensu per se directè & formalitèr, vel occasionalitèr, concedo ma. per se directè & for-

M 2 & for-

& formaliter semper nego ma. Entia ergo rationis in intellectu sunt ex eo, quia ad similitudinem entium realium formantur & concipiuntur.

VI.  
Non omne  
quod produ-  
citur à cau-  
sâ reali est  
reale.

**Arguitur 2.** Quidquid producitur à causa reali debet esse reale, sed ens rationis producitur à causa reali, scilicet ab intellectu, ergo debet esse reale. R. dist. ma. si producatur quoad aliud esse quàm objectivum seu intentionale, transeat major, si non producatur, nisi quoad esse objectivum, seu intentionale, nego majorem & distinctâ similiter minori nego consequentiam.

**Instatur** Inter effectum & causam debet esse proportio, sed causa est realis, ergo etiam effectus debet esse realis, ergo sive quoad esse intentionale producatur, sive ad aliud erit reale si ab intellectu veluti à causa reali producitur; sed R. dist. ma. debet esse proportio in esse producentis & producti, seu quoad primarium effectum, concedo ma. debet esse proportio quoad secundarium effectum nego ma. & concessâ minori nego consequentiam. Ita; non requiritur proportio entitativa, seu inter naturas versatur, sed sufficit proportio quæ consistit in eo, quod unum ab alio accipere esse possit, & alterum possit ipsum producere.

**Urgetur** Inter illud quod est reale absolute, & illud quod est nihilum nulla est omnimodò proportio, nec quoad effectum secundarium, nec quoad effectum primarium, sed esse intentionale entis rationis est purum nihilum, ergo causa realis illud non poterit producere; probatur minor, nam major est certa, Inter reale & inter illud quod est nihilum non datur medium, quia contradictoriè sibi opponuntur, sed esse entis rationis non est reale, ergo est purum nihilum R. concedendo ma. & negando minori ad cuius probationem dico, quod nihilum potest dupliciter sumi, primò enim sumitur pro eo quod nec est nec esse potest, & si sic sumatur, tunc ens rationis est purum nihilum; si verò sumatur tam strictè pro eo quod nec est actu nec esse potest in apprehensione, & in hoc sensu ens rationis non est purum nihilum, sed aliquo modo ens: siquidem habet esse in apprehensione, Ex quo non liceret alicui inferre, ergo est medium inter duo contradictoriè opposita, quia ens reale & nihilum secundò modo sumptum, non contradicunt sibi. Alii adhuc opponunt quasi ens rationis nullam haberet causam, quia potentia quæ illud producere deberet, cum sit vitalis, præsupponeret suum objectum, adeo; facere non posset, sed ex dictis facile solvuntur, nam causa est intellectus, & potentia suum objectum motivum tantum præsupponit, non verò terminativum, quale objectum est ens rationis respectu intellectus.

## QUÆSTIO II.

*Quid sit Ens Rationis?*

I. Videor hic peccare contra superiora tractata, ubi ut aliquid definiatur, requisivi quod sit ens reale, unum, positivum, & per se,

Vania destru-  
ptiones Entis  
rationis.

quale tamen non est ens rationis, unde gratis inquiritur hic ejus definitio, verum licet ens rationis propriè dictâ definitione definiri non possit prout est rerum, potest tamen, definiri in quantum unum conceptum per se exprimit in intellectu sive ille conceptus sit rei, sive rationis, In quo autem ejus natura consistat, inter Authores non parva est lis, nam diversi diversimodè sentiunt, Suarez disp. 54. Met. sect. 1. n. 6. ait Ens rationis esse quod cogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat, idem sentit Averfa quæst. 5. Log. sect. 2. Differunt tamen inter se, nam Suarez per ly cogitatur intelligit quid commune cogitationi intellectuali & phantastica, siquidem tenet phantasia posse facere ens rationis; Averfa autem intelligit solam operationem intellectus, quia tribuit soli intellectui entis rationis effectivum. Pontius definit ens rationis esse illud, quod nequit aliquid efficere, neq; inexistere alicui potenti aliquid efficere, nisi per considerationem potentie potentis aliquid considerare, ita disput. 1. Log. de Ente rationis citans pro se Scotum quodlibeto 3. Tertio describunt aliqui ens rationis id; satis communiter, quod sit illud quod habet esse objectivò tantum in intellectu, hæc est quorundam Scottistarum & Mairii disp. 3. De ente rationis, Alii deniq; tenentes quamlibet potentiam vitalem internam posse ens rationis efficere, sic definiunt illud: Quod sit illud quod est incapax realis existentie & Essentie, habens suum esse per fictionem dependentem ab opere potentie potentis comparare, aut considerare aliquid. Ex quibus sententiis antequam unam vel aliam determinando eligam, suppono 1. Ens formaliter sumptum omnino distinguui ab ente reali sumpto reali tam pro existente, quàm pro potente existere, quod patet tum ex dictis, tum ex Aristotele satis distinguente ens quod est in anima ab ente quod est extra animam. Suppono secundò ens rationis distinguui etiam à puro nihilo, quia purum nihil dicit negationem cujuscuq; entis, sive in re, sive in apprehensione, tum quia purum nihil nullam habere potest existentiam, sive realem, sive objectivam: nam si posset secundum se habere aliquam existentiam, jam non esset purum nihil, sed admixtum cum aliqua entitate, unde purum nihil dicitur in volvere in suo conceptu formali duplicem negationem entis scilicet realis & objectivi. Suppono tertio ens rationis ab ente reali distinguui non per negationem sed per aliquod positivum, per quod formaliter constituitur; Et hoc satis patet à sensu contrario, Ens enim reale licet dicat negationem entis rationis, adhuc tamen per illam negationem non constituitur in esse entis realis, ergo etiam licet ens rationis dicat negationem entis realis, tamen per illam non constituitur in esse entis rationis, Imò si ens rationis consisteret formaliter in negatione entis realis, cum talis negatio à parte rei daretur, daretur etiam citra fictionem alicujus potentie ens rationis. His itaque præsuppositis

Dico

**DICO I.** Non bene definitur ens rationis esse

illud, quod cogitatur ut ens cum tamen in se entitatem non habeat. Hæc conclusio est contra Suarezem, Averlam & Maftrium, eam tamen sequitur Pontius disp. 1. & Prob. 1. Cum eodem, ens rationis est illud, quod cogitatur ut ens, cum tamen nullam in se entitatem habeat, vel intelligunt quod cogitetur ut aliquod ens reale, aut aliquod ens rationis, cum tamen nullam entitatem habeat realem, aut rationis, non primum, falsum est enim, quod requiratur ad entia rationis ut concipiantur veluti entia realia, quia frequentissimè cogitantur ut entia rationis, & non ut entia realia, nec dicere potes cum Maftrio prout ipse solvit argumentum Didaci & Smising, quasi tantum per actum reflexum cogitetur ut ens rationis, nam ex Luxuriante intellectu etiam per actum directum fit ens rationis, tum ut alia confundat, tum ut quandoq; nonnulla refutet, & semetipsum exerceat & deleat, prout frequentissimè faciunt ingenti qui sunt vagabundi, & prout dicit Bernardus noster, qui longinquas regiones mente pervagantur, & in spatiis impossibilibus ordinationes disponunt mirabiles, Adde & quæro à Maftrio (si forte ingenio eum non attingo ad quæstionem sollicitare revera audeo) quem actum reflexum habuit Lucifer in ea potentia quæ appetit aequalitatem Dei, secundum quam appetentiam & etiam omnem actum voluntatis secundum ipsum datur, & fieri potest ens rationis, reverà nullum: nam Theologica morula tantum ei non admittunt spatium, & si adhuc actum reflexum habuisset, vel habere potuisset, iterum quæro, utrum per illum actum reflexum, sine ulteriori actu alio fecit ens rationis? si fecit tunc arguo sic: ergo sicut sine alio actu reflexo tunc fecit ens rationis, ita sine omni facere quis potest & potuit Lucifer, & si alius aliquis requiritur, ergo ad illum alium iterum alius, & sic in infinitum, ergo standum est in primo scilicet non requiri an per intellectum apprehendatur reflexè ut ens rationis, vel non. Probatur Conclusio secundò. Deus facit entia rationis ut defendam infra, sed Deus non cognoscit per modum entium realium, ergo non requiritur ut cognoscatur per modum entium realium. patet ex dictis: prob. mi. Deus non potest aliter cognoscere rem quam sit in se, sed si cognosceret ens rationis per modum entis veri, cognosceret aliter quam in se esset, ergo non requiritur quod cognoscatur per modum entis veri. Sed

**Dices;** Ens rationis non cognoscitur nisi per speciem entis realis, ergo semper cognoscitur per modum entis realis. R. ens rationis habere propriam speciem per quam cognoscatur saltem ab intellectu Divino, vel Angelico unde negandum est antea sedens & consequentia similia, quare si semel habet propriam speciem per quam cognoscatur habebit eam semper & non tantum ut cognoscatur, sed etiam ut fiat, Deinde modus entis realis non potest esse ens rationis quia revera modus entis realis datur à parte rei & est possibilis, ergo.

**DICO 2.** Male definitur à Pontio ens rationis definitione quam tradit disp. 1. Log. suprà relata. Pro-

batur 1. Cum Maftrio disp. 2. Metaph. q. 9. n. 243. Ens rationis debet definiri modo contrario enti reali, nam contrariorum eadem est natura & lex secundum vulgatum, sed non bene definitur ens reale per hoc quod sit illud, quod possit aliquid efficere, vel alicui in existere potenti efficere ergo à pari malè definitur ens rationis esse illud quod nequit aliquid efficere; bene autem definitur ens reale quod sit illud quod potest existere in rerum natura præter operationem intellectus, ergo opposito modo definitur ens rationis quod sit illud quod nequit existere citra alicujus potentie fictionem. Probatur secundò omnis illa definitio convenit enti reali objectivo, ergo mala est definitio, patet consequentia, quia mala est definitio quæ convenit aliis à definito, si ergo illa definitio convenit enti reali posito in esse objectivo, sequatur quod mala sit definitio: ant. probatur nam enti possibili, seu posito in esse objectivo verbi gratià Antichristo possibili convenit quod nihil possit efficere: nam ad efficientiam exercendam requiritur causa in actu posita, nec etiam Anti-Christus alicui aliquid efficere potenti in existit, nisi per fictionem intellectus, ergo tota definitio illi convenit, ergo malè definitur à Pontio ens rationis.

**DICO 2.** Qui tenent tam voluntatem quam intellectum facere posse ens rationis, malè definiunt illud quod sit illud quod habet tantum esse objective in intellectu, bene tamen per ultimam datam supra. Probatur 1. p. Quia si voluntas potest facere ens rationis, ergo malè definitur quod sit illud quod tantum habet esse objective in intellectu: quia illud non solum habet in intellectu, sed etiam in voluntate, ergo. Probatur 2. p. Quia non est assignabile à quacunq; potentia vitali intrinseca fictum ens rationis, cui ultima definitio non conveniret, ergo est bona. Hæc tamen definitio Pontio non placeret propter illam particulam realis essentia & existentia, arbitratur enim obscurum explicari per magis obscurum, quia magis obscurum est quid sit existentia & essentia, quam quid sit ens rationis, quod esto verum sit, si de essentia & existentia secundum se sermo sit; si tamen prout de facto explicatur, essentiam & existentiam intelligas multò facilius cognoscere poteris quid essentia, vel existentia sit, quam quid sit ens rationis, unde replica Pontii parum valet.

**Opponitur** contra conclusionem auctoritas Scoti dicentis quodlibeto 3. n. 2. ens rationis esse quod præcisè in intellectu considerante, ergo malè dicitur quod habeat esse dependentè ab opere cujuscunq; potentia potentis comparare. R. Scotum loco citato non definivisse ens rationis in tota sua latitudine, siquidem tale etiam ab aliis potentiis fieri potest, sed solum definivisse propriam speciem entis rationis, sumendo ens rationis strictè pro eo solo, quod habet esse in ratione, seu in intellectu, quod autem non intenderit definire ens rationis in tota sua latitudine patet, nam frequentè ipse Doctor admittit ens rationis fieri posse per actum voluntatis, phantasia & aliarum potentiarum vitalium interarum.

M 3 Argui-

IV. hanc male explicat ens ratio.

V.

VI. Explicatur auctoritas Scoti.

*1. Negatio est tantum incapax realis existentia positivæ.*

**Arguitur 2.** Ex ratione, Negatio est incapax realis existentie, ergo male definitur. *Ans.* rationis per incapax realis existentie, probatur ant. Quia negationi realiter existere repugnat. *R.* dist. ant. est incapax realis positivæ existentie, concedo ant. est incapax veræ existentie negativæ, nego ant. & conseq. sufficienter itaq; negatio idem est de privatione, excluditur ab entibus rationis per particulam habens suum esse dependenter ab opere potentie potentis comparare, negationes autem & privationes non habent suum esse dependenter à tali potentia, siquidem sunt ante operationem cuiuscunq; potentie. Sed

**Instatur.** Non omne ens rationis habet suum esse dependenter ab opere potentie potentis comparare, ergo per hoc privationes & negationes non distinguuntur ab ente rationis, si non distinguuntur, ergo nec bene definiuntur. Probatur ant. Relatio resultat ex duobus entibus rationis similibus non habet suum esse dependenter ab operatione alicujus potentie potentis comparare, & tamen est ens rationis; ergo. *R.* negando ant. ad cuius probationem dico ex duobus entibus rationis habentibus similitudinem nunquam resultare ens rationis, quæ sit relatio; hæc enim est differentia inter relationem realem & rationis, quod illa positis extremis statim resultat, quia confurgit ex natura illorum, ut sæpe docet Doctor 1. d. 31. quodlib. 6. & alibi, sed relatio rationis ultra extrema indiget operatione intellectus, quæ efficiatur; si enim tali operatione non indigeret, sequeretur relationem rationis esse quid reale, nam illud est reale, quod habet esse independenter ab opere intellectus, vel alicujus alterius potentie potentis comparare. Sed

**Urgetur;** Scotus frequenter docet quod ex chymæris & aliis rationis entibus relatio resultat rationis, ergo non est necessè quod fiant de novo per comparisonem & negotiationem alicujus potentie. *R.* Quod si hoc Scotus quandoq; dicit, intelligendus est quod resultat per intellectus, vel potentie potentis comparare negotiationem, quod licet non exprimat, id tamen supponit: quod patet ex definitione entis rationis.

### QUÆSTIO III.

*An Denominationes Extrinsecæ sint entia rationis?*

I.

*Positur status questionis.*

**Satis** intricatè hæc quæstio disputatur in Schola Scoti, nam nonnulli Scotistæ affirmativam tenent, alii contra negativam, & quilibet pars mentem Scoti attingere putat, dum una & altera eundem pro se citat, & trahit: unde status quæstionis est, an quando oculus verbi gratia videt parietem, intelligit intellectus lapidem, resultat in pariete, vel lapide præter denominationem illam quod paries dicatur visus, & lapis cognitus, à visione oculo in existente, vel à cognitione intellectui inhaerente, *Ans.* & respectus alicujus rationis. Itaq; nota denominationem aliam esse intrinsecam, aliam extrinsecam, Denominatio intrinseca est, quæ provenit à re, vel forma in existente in re de-

*Denominatio est intrinseca alia extrinseca utraq; explicatur.*

nominata, ut dum dicis, quod Joannes sit doctus, quod paries sit albus, & aliqua denominationes tales intrinsecæ dicuntur intrinsecæ per identitatem, & non per solam inhaerentiam, vel adhaerentiam, ut homo est rationalis, &c. Denominatio extrinseca est illa, secundum quam aliquid dicitur & denominatur non tanquam à forma in se inexistente, sed in alio à se distincto, sic Petrus dicitur visus non à visione sibi inhaerente, sed in oculo alterius. Suppono autem tanquam certissimum similes denominationes extrinsecas dari, tum autoritate Scoti 1. d. 30. q. 2. n. 12. ubi ait, Deum sola relatione nova quæ est in creatura ad ipsum, ipsum denominari Dominum; tum quia quotiescunq; aliquid habet denominationem novam absq; ulla forma sibi intrinsecè inhaerente, illa denominatio debet dici extrinseca, sed de facto habent multa denominationes novas absq; ulla forma intrinsecè nova, ergo dantur denominationes extrinsecæ, minor probatur: quia paries dicitur de novo visus, cognitus, absq; visione, vel intellectu intrinseca in eo subiectata, nec requiritur ad veritatem predicationis alicujus quod prædicatum ipsi in se physicè semper, sed sufficit quod ipsi in se physicè, vel logicè, hoc ergo prænotato & præsupposito ad quæstionem

**Dico** Denominationes extrinsecæ proveni-

*Ita Ru-*  
*vius in*  
*sua Logica tractatu de ente rationis,*  
*Mastrius, Comptonius, &c. contra Baronem*  
*Apol. 1. Met. Incidental. Probatur Conclu-*  
*sio, ens rationis non datur ante fictionem intel-*  
*lectus, vel negotiationem potentie potentis*  
*comparare, sed denominationes extrinsecæ dan-*  
*tur ante talium potentiarum negotiationem,*  
*ergo, ma. patet, probatur mi. Deus dicitur*  
*creator, & paries qui ab aliquo animali videtur*  
*dicitur visus antequam cognoscatur creator,*  
*vel quod paries sit visus: nam si Deus nullum*  
*creasset intellectum, sed sola insensibilia entia,*  
*verè fuisset dictus creator: sed tunc non per ens*  
*rationis, siquidem tunc nulla fuisset potentia*  
*quæ illud effecisset, ergo esse Creatorem quæ*  
*est denominatio extrinseca (nam per hoc quod*  
*Deus dicatur Creator, nulla forma ponitur in*  
*ipso realis, aliàs esset mutabilis: siquidem pos-*  
*set illi aliquid de novo advenire, quod ab æter-*  
*no non habuit) non est ens rationis, sed reale:*  
*Nec valet dicere quod denominationes proven-*  
*nientes ab aliis potentis non sint rationis, be-*  
*nè tamen quæ proveniunt ab intellectu, quia*  
*quamvis hujusmodi denominationes possent*  
*peculiariori aliqua ratione dici ens rationis,*  
*quia scilicet proveniunt ab actibus rationis,*  
*non possunt tamen dici entia rationis in sensu*  
*prout hic accipiuntur entia rationis, quia tam*  
*benè actus intellectus, quam aliarum potentiarum*  
*vitalium dicuntur habitudinem ad objectum,*  
*itaq; denominationes ab eis provenientes pari*  
*modo erunt reales, quia omnes proveniunt*  
*à formis realibus. Probatur secundo cognosco-*  
*re & cognosci sunt relata, ergo ipso eo quod*  
*Petrum cognoscam, Petrus est cognitus à me*  
*absq; ulla fictione præcisè ex eo quod detur*  
*cognitio quæ ad Petrum terminetur, ergo*  
*absq; ulla fictione Petrus est cognitus, ergo hæc*  
*deno-*

II.  
*Denominatio*  
*rationis ex-*  
*trinseca non*  
*sunt entia*  
*rationis*

denominatio cogniti absq; ulla fictione conuenit Petro.

III. **Autores** contrarie sententia putantes scilicet quod denominationes extrinseca sint entia rationis, id ideo faciunt, quia primo ad denominationem realem requirunt veram unionem forme denominantis, cum re denominata, & ideo cum forma extrinseca non habeat veram unionem cum subiecto denominato, denominatio non est realis, sed rationis; Verumtamen hoc eorum fundamentum est nullum, quia falsum est in extrinseca denominatione non reperiri suo modo unionem realem forme denominantis, cum re denominata non quidem per modum inhaesionis, sed adhaesionis, seu habitudinis ad rem denominatam, per quam unionem licet nihil sit in termino, verè tamen aliquid dicitur esse ad terminum. Secundo putant denominationem debere aliquid ponere in re denominata, seu subiecto, hoc non est opus, nam Deus realiter denominatur Creator absq; eo quod nova forma in sit ipsi, quando vero dico realiter, non intendo asserere quod predicatum sit aliquid inhaerens subiecto de quo enuntiat, sed sensus est quod illud quod verè est, verè sic denominari, quasi diceretur Deus realiter denominatur Creator, id est, Deus est verè Creator, paries est realiter visus, id est verè visus. Et si quando dicit Scotus denominationes extrinsecas esse entia rationis, non est intelligendus quod dicat denominationes esse ens rationis formale, id est fictum, quod nec est, nec esse potest; sed materiale tantum, id est, quod ab intellectu concipitur: cui tamen esse non repugnat, & in hoc sensu Scotus i. d. 36. q. un. §. concedo illud esse cognitum, quod creature habent ab aeterno per actum intellectus Divini vocat ens rationis, ut notat Fuentes; Verum tamen est, quod si quis consideraret lapidem verbi gratia esse cognitum per cognitionem aliquam inexistente ipsi, quod denominatio cogniti sic concepta esset ens rationis, quia nec est, nec esse potest cognitum per cognitum per cognitionem in se ipso existentem vitaliter, hinc tamen non sequitur denominationem extrinsecam esse ens rationis, si consideretur ipsa prout esse cognitum à potentia cognoscente terminatur ad ipsum objectum, Per hæc notata plures solvi poterunt difficultates super hanc materiam occurrentes, maxime si bene observetur & exactè natura entis rationis supra data

QUESTIO IV.

Utrum negationes & privationes sint entia rationis?

I. **Pro quaest.** Intelligentia notandum privationem & negationem idem non esse, nam licet utraq; dicat carentiam, hæc tamen non est nisi ratio generica, differunt itaq; in hoc, quod privatio sit carentia forme in subiecto apto nato habere talem formam, verbi gratia carentia visus in oculo caeci, aut carentia albedinis in pariete dicuntur privationes, quia carentia sunt in subiectis talibus quæ sunt apta suscipere tales formas, cæcus namq; aptitudinem habet ut recipiat formam visus, paries carens albedine

est aptus natus recipere albedinem, & sic de multis aliis similibus. Negatio autem est carentia forme in subiecto, quod subiectum non est aptum natus habere talem formam: sic carentia visus in talpa dicitur negatio, quia talpa non potest recipere visionem, sic etiam carentia irrationalitatis in homine negatio vocatur, cum homo sit incapax irrationalitatis etiam de quantumq; potentia. Negatio autem duplex est, alia vocatur intra genus alia extra genus appellatur, negatio extra genus est, quæ nullum determinatum entis genus sibi vendicat cui conveniat, sed tam de ente quàm de non ente, de quo est facta, affirmatio opposita illi negationi verificatur, verbi gratia non homo verificatur tam de chymæra quæ est non ens, quàm de lapide qui est ens reale, nam nec de chymæra, nec de lapide verificatur affirmatio opposita illi negationi non homo: Negatio intra genus vocatur negatio secundum genus, & est negatio alicujus forme, vel alicujus rei, quæ alicui non convenit quatenus est tale ens, esto secundum genus ipsi non repugnet, verbi gratia irrationalitas in homine est negatio intra genus, esto enim in quantum homo aliquis est non possit esse irrationalis, tamen secundum quod animal est non repugnat ipsi irrationalitas, sic etiam cæcitas in talpa est negatio visus in quantum est talpa, est tamen visus capax in quantum est animal.

Negatio duplex est.

Notandum 2. Sermonem hic non esse de negationibus, aut privationibus subiectatis in entibus rationis, nec de iis quas intellectus posset concipere in entibus realibus in quibus à parte rei non possunt reperiri, ut si quis conciperet spiritualitatis negationem in Deo, aut corporeitatis in homine, quia certum est huiusmodi esse entia rationis, sed sermo est de negationibus & privationibus verè & à parte rei subiectatis in entibus realibus, ut est de negatio brutalitatis in homine, caloris in aqua, &c. Circa quam materiam duplex est sententia, prima est P. Suarez disp. 45. Met. sect. 3. & aliorum Scotistarum dicentium negationes & privationes esse entia rationis, secunda contrario negat, & hæc est communior Scotistarum cum Pontio, &c. cum quibus ad questionem

Non est sermo de negationibus entium rationis.

DICO I. *Negationes & privationes non sunt entia rationis, quatenus videlicet considerantur ut subiectata in entibus realibus.* Hæc est contra Thomistas quos sequitur Suarez disp. 42. Met. sect. 2. Probatur conclusio manifestè; Quia negationes & privationes verè & realiter à parte rei independentè ab opere potentia potentis fingere existunt in subiectis realibus, sed quæ sic existunt non sunt entia rationis, ergo negationes & privationes non erunt entia rationis, probatur ma. Quia et si nullus daretur intellectus, vel potentia comparare potens, verum esset quod paries niger haberet privationem albedinis, & talpa negationem visus, &c. mihi etiam patet ex definitione entis rationis. Sed

III. Negationes & privationes non sunt entia rationis.

VI. **Arguitur** in contrarium, Chymæra non est ens reale, ergo est negatio entis realis, in eodem subiectata, sed chymæra est ens rationis, ergo negatio entis realis est ens rationis, sed eadem

VI. Non bene dicitur chymæra non est ens reale, ergo est ens rationis.

eadem est ratio de omnibus negationibus entium & formaram realium; R. concesso ant. negando consequentiam, nam non licet argumentari sic: Petrus non est Paulus, ergo Petrus est negatio Pauli, quandoquidem Petrus est quid positivum explicatum per negationem. Sed

**Instatur,** Si negationes & privationes non essent entia rationis, sed positiva explicata per negationem, sequeretur quod omnes negationes & privationes essent per se & immediate intelligibiles, sed tales non sunt, ergo. Minor patet, quia intelligibilitas est proprietas solius entis realis, ergo. R. dist. ma. essent intelligibiles intelligibilitate terminativa, concedo ma. intelligibiles intelligibilitate motiva; Nego ma. illud autem quod assumitur ad probationem minoris universaliter verum non est, de intelligibilitate motiva, nam multa sunt entia realia quae non sunt intelligibilia intelligibilitate motiva, nam relationes secundum communioem sententiam nequeunt intellectum per se movere ad sui cognitionem, unde sciendum non esse universalem proprietatem entis realis intelligibilitatem, tum quia ut dixi, entia relativa movere non possunt, licet sint entia positiva, tum quia intellectioem veram terminant entia rationis, licet non sint entia realia positiva. Sed

**Urgetur?** Illa intelligibilitas quae convenit negationibus & privationibus, vel est ejusdem rationis eum intelligibilitate entis realis, vel entis rationis, si entis realis, ergo negatio erit ens reale, quia qualis est proprietas tale esse ens necessè est à posteriori, si rationis erunt, ergo entia rationis, sed reales non sunt, ergo rationis. Probatum subsumptum, quia negationes & privationes sunt carentiae entis realis, ergo patet antecedens ex Aristotele I. phys. 8. ubi vocat negationes & privationes non entia, ergo. Quod autem unum vel alterum esse debeant inde patet, quia alioquin daretur medium. Antequam respondeam in forma, notandum est ens reale dupliciter sumi posse propriè & laxè, propriè sumptum est, quod habet entitatem suam extra suas causas existentem & positivam, ens reale laxè sumptum est omne illud, quod habet esse independentè ab opere potentiae potentis fingere, sive illud privativum sit, sive positivum, hoc praenotato R. concedendo primum argumentum, & distinguendo subsumptum, sed reales non sunt, id est, propriè dicta entia realia, concedo subsumptum, non sunt entia realia impropriè dicta, id est, talia quae habent suum esse dependentè sine omni opere potentiae potentis fingere nego subsumptum, Et quando postea adhuc dicitur quod inter ens reale & rationis non datur medium, distinguitur data propositio, inter ens rationis & reale propriè dictum non datur medium, nego, quia tunc mediat ens reale impropriè dictum inter ens rationis & reale sumptum in tota sua latitudine, videlicet prout comprehendit tam positivum, quam negativum existens ante operationem potentiae considerare potentis concedo, dictum illud, sed nihil est contra me, nam nec dico, esse ens reale pro-

priè dictum, sed nec concedo quod sit ens rationis, sed assero aliquid, licet sit negativum, quod suum esse independentè à fictione habet.

**DICO 2.** Si negationes & privationes considerentur tanquam entia realia & positiva tantum, tunc tam negationes, quam privationes sunt entia rationis. Est communis contra Pontium. Probatum, illud est ens rationis quod habet totum suum esse à potentia potente fabricare & fingere, sed si considerentur negationes & privationes ut realia entia tantum, tunc suum esse aliud non habent quam dependentè ab operatione potentiae potentis fingere, ergo sunt entia rationis, ma. patet, probatur minor quia ante operationem intellectus, vel alterius potentiae fingere potentis negationes & privationes nullum habent esse reale, nec possibile ut in sensu reduplicativo esse reale habeant, ergo.

## QUAESTIO V.

De causa creata Entis Rationis?

**Solent** nonnulli hic fusè de quatuor causarum generibus respectu entis rationis tractare, nam aliqui dixerunt ens rationis habere quidem causam materiale, formalem, & finalem, non tamen efficientem, alii e contra habere quidem causam efficientem, non verò formalem, materiale, & finalem; At tamen medià viâ hic incedendum iudico, & dicendum ens rationis habere omnia quatuor genera causarum non quidem propriè & in rigore, sed suo modo, nam imprimis chymara verbi gratiâ habet pro causa materiali illam partem quae consideratur ab intellectu tanquam perfectibilis ab alia parte, & pro formali eam partem quae consideratur ut perfecta alterius partis, quod autem habeat quoque causam finalem videtur satis per hoc probari, quia illud dicitur habere causam finalem, quod fit propter aliquem certum finem, sed entia rationis sic fiunt, ergo, probatur mi. nam saepe multa fingit intellectus ut facilius res propriè dictas explicare possit, ergo, tum quia saepe entia rationis facimus ut videamus intellectus nostri fecunditatem, subtilitatem, illimitationem, quod videlicet ea quae nec sunt, nec esse possint, concipere valeat; Quod autem habeat causam efficientem quasi res indubitata est, dubium tamen est, quae potentia illud fabricare & facere possit? Et imprimis tot quot entia rationis admittunt, concedunt quoque quod fiat per intellectum, ita quod, vel ideo dictum sit ens rationis, quia causam suam effectivam, rationem habet. Controversia tamen est inter Auctores de aliis potentis, Arriaga disp. 6. Metaph. existimat quod ens rationis per omnes potentias sensitivas externas fieri possit, quem sequitur Baro: attamen isti veluti contra Torrentem natantes ab omnibus rejiciuntur; Maffrius & plures alii Scotistae dicunt, quod nec phantasia, nec ulla alia potentia materialis interna ens rationis facere possint, alii e contra affirmant tam phantasia, quam alias potentias ens rationis fabricare posse, ita Suarez disp. 14. Met. sect. 1. n. 18. Merinerius hic q. 4. Fuentes, Arriaga, Baro, differunt tamen inter se quia aliqui putant solam phantasia humanam, alii omnem

V.

I. Ens rationis habet omnia quatuor genera causarum.

IV. In ratione ens est per se.

omnino ens rationis fingere posse, Plures Scotistae deniq; inter quos est Mastrius contra Pontium docent intellectum & voluntatem ens rationis tantum fabricare valere, Antequam meam aperiam mentem prius.

**Notandum 1.** Quod ens rationis proprie dictam causam etiam efficientem habere non possit, quandoquidem nec proprie ens est, unde causam efficientem habebit eo modo, quod est, cum non sit, nec esse possit à se, qui est solus Dei benedicti conceptus, nulli alteri abs se communicabilis, unde causam habebit improprie & metaphoricè, proportione scilicet aliqua ita videlicet, quod sicut se habet causa realis ad effectum realem, ita & causa metaphorica ad effectum metaphoricum; Unde intellectus dici non poterit respectu eius causa realis, quia denominatio causae realis provenit non ab entitate causae in quantum ens est, sed in quantum causa, per ordinem scilicet ad effectum, ut ergo causa dicatur realis, debet aliquid in effectu illi correspondere: unde illam denominationem desumat, sic Deus non dicitur causa vitalis respectu lapidis, nam licet in se vitalis sit ut causa, tamen hic & nunc non est vitalis: quia nihil in effectu est vitale, unde aliud est producere aliquid per physicam & realem virtutem, aliud physicè & realitèr, hinc intellectus per suam cognitionem veluti per suam virtutem producit ens rationis, non tamen physicè & realitèr, quia effectus non est physicus & realis.

**Notandum 2.** Ens rationis prout hic pertinet ad nostrum propositum dupliciter capi posse, primo proprie & in rigore pro eo videlicet, quod solum habet esse ex vi rationis, seu intellectus, unde etiam suam principalissimam desumpsit denominationem; Secundò minus proprie & magis laxè, seu pro ente proportionali & equivalente illi, quod sit à ratione; quando ergo quaeritur quae potentia possit ens rationis efficere, non est sermo de ente rationis in prima acceptione tantum, quia sic esset repugnantia in terminis quod alia potentia ab intellectu quae dicitur ratio, ens rationis efficere possit, sermo ergo est etiam de ente rationis in secunda acceptione, nempe an fieri datur aliquid ens quod solum existit objective in intellectu, ita detur, vel dari possit ens quod solum objective existat in potentia aliqua distincta ab intellectu, unde quando dicit Scotus l. d. 4. §. uni. & alias saepe relationem impossibilem quam causat voluntas non esse ens rationis, intelligendus est non esse ens rationis in prima acceptione, bene tamen in secunda.

**Notandum 3.** Ens rationis adhuc duplex esse, aliud materiale, quod scilicet formalitatem entis rationis non participat, potest tamen participare per actum potentiae fingentis, quò sensu omnes negationes, privationes & denominationes extrinsecæ à Scoto frequenter dicuntur entia rationis materialitèr & fundamentalitèr, quia possunt intellectus vel alteri potentiae prestare fundamentum fictionis, ut concipiat id quod non est ac si esset. Aliud est formale, quod scilicet actu participat formalitatem entis rationis, quia scilicet

F. Amandi Hermann Logica.

actu fingitur ab intellectu, vel alia potentia esse, & ita objective existit in ea, ut extra illam nec existat, nec existere possit, Quare etiam in praesenti non est quaestio de ente rationis in materialitèr accepto, quia sic non controvertitur: concedunt enim omnes tam voluntatem, quam alias potentias ens rationis facere posse, sed est quaestio de ente rationis in posteriori acceptione. Per notabile facile explicari potest auctoritas Doctoris, qui saepe, ut dixi, negationes entia rationis vocat, eum videlicet, locutum fuisse de ente rationis materialitèr & fundamentalitèr accepto, non verò formalitèr. His praenotatis

**DICO 1.** *Nulla potentia externa ens rationis*

*facere potest.* Haec est communior contra Arriagam & Baronem. Probatur. Nullus sensus externus est collativus, Ergo nullus sensus externus, facere potest ens rationis. Verum tamen quia non videtur necessarium (de qua re paulò infra) ut ens rationis semper per actum collativum formetur, ideo probatur conclusio aliter. Nullus sensus externus potest concipere quòd nec est, nec esse potest, ergo nullus sensus externus potest facere ens rationis: probatur aut, si posset sensus externus aliquid tale apprehendere, esset quando baculum integrum in aqua concipit esse fractum, vel colores in collo columbae, vel aliquid simile, sed talia; esto non sunt, tamen esse talia possunt, potest enim esse baculus fractus in aqua & veri colores in collo columbae, vel aliquid aliud simile, ergo, &c. Nec videntur egere conclusio pluribus probationibus, cum sit communis, cuius veritatem ipsemet sensit Arriaga dum dicit, concludendo *videtur tamen sensu externos entia rationis efformare non posse*, & licet Baro sit obstinatio, utpote qui solus, imò & totus (cum praeter formam dispositivam, methodumq; quae ex objectionibus solitis duplices efformat conclusiones, ubi satisfaciunt alii una simplici distinctione nihil, aut raro affert novum aliquid praeter quaestiones nominales) videri cupit. Confirmatur conclusio, quia omnia entia rationis sunt extra latitudinem objecti adequati sensuum externorum, ergo: probatur aut, quia objectum adequatum eorum est ens sensibile externum & materiale, sed entia rationis non sunt talia, ergo entia rationis sunt extra objectum adequatum sensuum externorum, sed cum Arriaga

V. *Potentia externa non facit ens rationis.*

VI.

**Dices;** Potest Deus creare colorem alligatum alicui loco, & potentia viva ipsum alibi videre, ergo potest videre colorem cum praesentia impossibili, ergo videre objectum quod nullum habet esse praeter objectivum in potentia vivise. §. dist. I. conseq. Quantum est ex natura coloris, nego consequentiam, quantum ex Decreto Dei id provenit, concedo consequentiam, ex se enim color indifferens est ad hunc & illum locum. Unde non sufficit ad fabricandum ens rationis, ut concipiatur aliquid quòd non est, sed quod nec esse potest, ille color autem tam in alio loco esse potest, quam in collo columbae; licet in eo non sint nisi colores apparentes.

**DICO 2.** *Phantasia potest facere ens rationis.*

Ita Baro & plures Scotistae in suis Manuscriptis contra Pontium, Mastrium, &c. Probatur conclusio, phantasia potest phantasiare & componere plures res inter se, quae nec sunt, nec esse possunt,

VII. *Phantasia facit*

N

possunt,

possunt, ergo potest facere ens rationis: ant. patet, nam frequenter somniamus de hircocentauris, chymæris, & aliis rebus omnino impossibilibus, sed illæ omnes operationes sunt phantasia, & vera entia rationis, ergo phantasia potest facere. Baro Conclusionem probat sic: Intellectus potest facere ens rationis, ergo etiam imaginativa, probat consequentiam, quia intellectus nihil agit nisi coagente imaginativa, unde est illud Aristotelis oportet intelligentem phantasmata speculari, si dicas: Phantasia intellectum non posse sequi in omnibus, quia intellectus versatur circa universalia, imaginatio non, sed solum circa accidentia & singularia. Respondet, 1. quærendo si phantasia non plus percipiat quam accidentia, unde intellectus plus sciat & discat, cum nihil sit in intellectu quod non prius fuerit in sensu. Secundò id nihil nocere, quia factio omnis circa singularia versatur, & ipsi sufficere dicit, si imaginatio faciat hoc numero monstrum, quod est ens rationis, licet non faciat monstrum ut sic. Per hanc probationem satis patet ad argumenta contrariæ sententiæ, quæ consistunt in his duobus: quòd nempe sensus internus non versetur nisi circa singularia, & quòd non possit percipere nisi accidentia, quia nihil plus percipit, quam sensus externi antedecenter percipere. Verumtamen in forma adhuc

## VIII.

Dices Cum Maffrio, & Pontio. Nunquam experimur quòd per phantasia aliquod percipiamus nisi quod existit, aut existere potest, ergo: prob. ant. à Pontio subtilissimè, quia si aliquid phantasia apprehenderet, quod nec existit, nec existere potest, hoc maxime faceret quando apprehenderet compositum aliquod ex impossibilibus verbi gratià ex equo & leone, sed dum hoc concipit, non concipit aliquid impossibile, nam solummodo concipit colores talium animalium cum tali figura externa, & conjunctione, quod esse potest: nam tales colores possunt esse simul & etiam talis figura, quam discursum late prosequitur Pontius, sed libenter vellem audire probationem, quòd phantasia non apprehendat nisi solam figuram externam, ego non video, cur non posset apprehendere substantiam: nam experientia constat multos in somniis non solum figuram, aut colores apprehendere, sed etiam sapissimè substantiam, & quæso cur non possit phantasia phantasiare substantiam equi & substantiam leonis, & illa simul combinare, cum sit potentia comparativa, ergo benè dicitur quòd phantasia faciat ens rationis donec contrarium probetur. Confirmatur responsio, Quia quando ovis vidit lupum venientem & fugit, tunc non apprehendit tantum colores, ergo aliquid aliud à coloribus, ergo substantiam lupi, prob. ant. quia colores illi non sunt ipsi contrarii, quantum in se sunt, cum sæpè tales videat aliàs & tamen non fugiat, ergo etià in somniis phantasia non apprehendit solos colores, sed etiam substantiam: adeoq; sequitur benè posse ens rationis facere. Hæc confirmatio non parum est onerosa sententiæ contrariæ.

## IX.

Voluntas potest facere ens rationis.

Dico 3. Voluntas potest facere ens rationis: Ita Scotus in 1. d. 45. q. un. n. 4. ubi dicit, Si ens rationis, seu relatio rationis strictè sumatur prout denominationem suam habet à ratione, voluntas non facit

ens rationis, si verò sumatur pro relatione rationis alio modo, id est, pro ea quæ nihil ponit in re, sive sit per intellectum, seu non, voluntas potest facere ens rationis. Est etiam Maffrii, Baronis & multorum Scottistarum contra Pontium & alios. Probatur Conclusio. Quia voluntas omnia habet requisita ad ens rationis faciendum, ergo poterit illud facere: probatur ant. Nam imprimis & potentia collativa, ut docet Doctor quodlibeto 17. ex ratione patet, quia potest voluntas unum objectum comparare alteri, sicut intellectus: non quidem per modum iudicii & cognitionis, sed per modum ordinis, ac acceptationis; tum quia voluntas potest dare esse objectivum alicui, ergo potest facere ens rationis: nam potest velle impossibilia, etiam ut talia ab intellectu ostensa, volitione saltem inefficaci, imò potest voluntas ex sua libertate bonitatem in objecto fingere, ubi reverà non reperitur, nec reperiri potest, neq; ut bonum ab intellectu proponitur: ergo potest tale esse objectivum bonitate tribuere, quale requiritur ad ens rationis constituendum: patet consequentia, quia in tali casu voluntas est quæ primò fingit bonitatem in objecto, quæ non est, nec esse potest: & hanc non fingit intellectus; Per quod solvitur communis responsio scilicet quòd intellectus fingat illam bonitatem & voluntas præsupponat iam factam, nam præter bonitatem veram & apparentem datur etiam secundum Scotum bonitas præfixa, seu finis præstitutus in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. Et est quando objectum ostenditur præcisè ab intellectu sub ratione mali, & voluntas tamen ex sua libertate & malitia præfigit ipsi aliquam bonitatem, quæ præfixa tendit in illud objectum, tanquam bonum bonitate à voluntate præfixa.

Arguitur Voluntas non potest fieri in aliquod objectum, nisi quod est ipsi ab intellectu propositum, ergo voluntas non potest facere ens rationis, sed præsupponet iam illud factum; R. dist. ant. quando voluntas fertur in objectum apparens peccando ex ignorantia, debet esse ab intellectu objectum propositum, aut concedo ant. quando tendit & fertur in objectum præfixum peccando ex mera malitia, debet esse objectum ipsi propositum ab intellectu sub ratione mali, vel impossibilis, nego ant. axiomata itaq; vulgatum est tantum verum, quando voluntas tendit in objecta aliqua, quæ ab intellectu proponuntur tanquam bona, vel tanquam apparentia bona. Hinc negatur consequentia.

Instatur sequeretur ex data distinctione quòd voluntas tenderet in incognitum, sed hoc videtur fieri posse haudquaquam; nam nihil dicitur volitum quin sit præcognitum, ergo, probatur sequela quia bonitas in illo casu non esset ipsi ostensa in objecto, ergo. R. negando seq. ad probationem distinguo ant. in tali casu bonitas non esset voluntati ostensa ab intellectu, in tali & hoc objecto concedo ant. non fuisset ostensa in alio objecto nego ant. & consequens sufficit itaq; quòd intellectus ostendat voluntati bonitatem in alio objecto, vel etiam in abstracto, quia ostensa voluntas potest applicare illam objecto etiam malo, unde non propterea dicitur fieri in incognitum.

Urgetur

Urgetur si bonitas illa, siue in hoc ob-  
jecto, siue alio jam est offensa voluntati, ergo  
non potest facere ens rationis, probatur seque-  
la, quia jam praesupponitur esse factum, ergo.  
R. distinguendo sequelam, ergo non potest vo-  
luntas facere ens rationis dando ipsi primum ef-  
fe obiectivum concedo sequelam; dando ipsi  
secundam esse obiectivum nego sequelam; pri-  
mum esse supponitur jam acquisitum per intel-  
lectum, secundam tamen dat & praestat volun-  
tas, Exinde autem non potest absolute inferri  
voluntatem ens rationis conficere non posse,  
nam licet ens rationis sit factum per apprehen-  
sionem, non sequitur quin suò, & proprio novò  
modo possit fieri per iudicium; sic pariter licet  
sit factum per intellectum, hinc non convin-  
citur quin suò quoq; modo fieri possit per vo-  
luntatem. Unde videtur mihi etiam primum  
esse obiectivum dare posse voluntatem, nam  
illa bonitas alibi, & quin alio obiecto fuit osten-  
sa, ut vera atque non ut ens rationis, quando  
autem acquirit esse à voluntate obiectivum,  
in alio obiecto, tunc primum habet esse tantum  
obiectivum ab ea, quod nec est, nec esse potest.  
Utrum autem ens rationis vocari debeat, præ-  
notavi supra: quamvis non prout à ratione  
derivationem habet, imò Baro existimat etiam  
in hoc sensu, rationis ens dici posse, quia vi-  
delicet voluntas est aliquid rationis.

XI. Hactenus egi de potentiis entis ra-  
tionis confectivis, circa quas major est Autho-  
rum controversia, accedo nunc ad potentiam  
intellectualem quam ens rationis fabricare  
posse tot, quot illud concedunt affirmant,  
ut proinde examinare sit superfluum, an fa-  
cere possit, est tamen necessarium discutere  
per quem actus illud fabricet, nam de hoc non  
rara est contentio inter Scholasticos.

XVI. Itaq; Notandum Actus intellectus  
primos esse & præcipuos tres mentis operatio-  
nes dictos, videlicet *apprehensionem*, dum ob-  
jectum concipitur sine affirmatione & negatio-  
ne; *iudicium* quando aliquid de subiecto, vel  
affirmatur, vel negatur, & *discursum*, seu unius ex  
alio *illationem*. Item alium esse assensum, alium  
dissentium, alium esse absolutum, alium re-  
flectivum, seu collativum; alios deniq; esse re-  
flexos aliosq; reflexos. Actus assensus est unius de  
alio assertio, dissentus est unius de alio negatio;  
Absolutus est, quando intellectus aliquid concipit  
sine ordine ad aliud, verbi gratia dum concipit  
hominem, lapidem, &c. quæ sunt entia ab-  
soluta: Actus collativus, seu comparativus est,  
quando intellectus considerat aliquid cum or-  
dine ad aliud, verbi gratia si quis cognosceret  
animal esse prædicabile de homine & leone;  
aut Deum esse creatorem mundi, siue hoc fa-  
ciat simpliciter apprehendendo, siue iudicando:  
Actus rectus vocatur ille quò intellectus cogno-  
scit aliquid directe, siue apprehendendo, siue  
iudicando, seu discurrendo, seu sine discursu,  
non reflectendo se super suam cognitionem,  
seu non cogitando, an res illæ sint à se cognitæ,  
vel non, ut quando aliquis cognosceret Petrum,  
vel Paulum: Actus reflexus est, quando quis  
considerat rem ut à se cognitam, ut si quis post-  
quam directe cognovit Petrum, velit se reflecte-  
re, aut considerare à se cognitum, aut Pe-  
trum habere à sua cognitione aliquam ratio-  
nem, quam antea non habuit. Circa quod dubi-  
um est, an per omnes enumeratos actus intel-  
lectus ens rationis facere possit, ad quod sine  
sententiarum diversarum citatione

DICO 4. *Intellectus humanus tam per apprehensionem, quam per iudicium, siue assensu sit, siue dissentiu, & discursum, imò tam per actum absolutum & comparativum, quam directum & reflexum potest facere ens rationis.* Hæc Conclusio constat pluribus partibus, quæ pro se diversos habet auctores, sed & diversos oppugnatores, attamen probatur per singulas partes, Et quidem primum quoad primam partem. Intellectus per primam mentis operationem potest apprehendere res, quæ nec sunt, nec esse possunt, ergo per primam mentis operationem potest fieri ens rationis, consequentia est manifesta, ant. probatur potest enim intellectus apprehendere terminos repugnantes invicem, ut cum concipit alium Deum à vero Deo distinctum, chymæram, hircocentaurum, hominem esse animal irrationale, equum esse animal rationale, nam ut aliquoties insinuaui per primam mentis operationem intellectus potest apprehendere non solum vocem incomplexam *homo*, sed etiam totam hanc propositionem & similes, *Homo est animal rationale*, nihil de ea affirmando, vel negando iudicativè, sed apprehensivè tantum. Probatur conclusio quoad secundam partem, quòd nimirum intellectum per secundam mentis operationem facere possit, Quia sicut per primam mentis operationem potest multa concipere quæ nec sunt, nec esse possunt, ita per secundam mentis operationem multa poterit, quæ nec sunt, nec esse possunt iudicare, cur enim iudicare non potest hominem esse brutum, hominem non esse animal, ergo. Dixi autem notantè, *siue iudicium sit assensu, siue dissentiu, Quia* siue aliquid affirmet, siue aliquid neget, dummodo illud esse non possit; ens rationis erit, quod de actu dissentus, de quo major videtur difficultas particularitèr probatur sic. Per hoc iudicium non solum cognoscitur repugnantia chymærae (si verbi gratia diceret, chymæra non datur, vel non existit) sed etiam ipsa chymæra cuius est negatio, seu de qua prædicatur negatio, ergo hoc iudicium habet duplex obiectum, negationem videlicet, & chymæram, ergo ex vi illius iudicii est duplex obiectum in intellectu obiectivè, ergo ex vi illius iudicii datur aliquid habens esse obiectivè in intellectu tantum, quod nullum scilicet habeat esse extra intellectum, sed illud quod habet esse obiectivè tantum in intellectu est ens rationis, ergo vi illius iudicii datur ens rationis in intellectu; adeoq; tam per assensum, quàm per dissentium iudicii fieri potest ens rationis. Sed

Dices; Per hunc dissentium verbi gratia  
per actum quò dicit intellectus, Hircocervus  
non existit, intellectus destruit existentiam hircocervi, & esse illius ergo per hunc actum intellectus non facit ens rationis, quia cum destruat illius esse, non dat ipsi esse, ergo per hunc actum non fit ens rationis. R. per hunc dissentium intellectum intentionalitèr destruere existentiam  
XIII. Intellectus per omnes actus suos facit ens rationis.  
XIV. Negatio destruit existentiam realem Hircocervi non verò intentionalem.

Phyficam hircocervi, & illius esse extra intellectum, nihilominus per hanc negationem formalem tribuit ipsi esse objectivum in intellectu, quia ex vi istius actus quod dicitur, hircocervus non est existens in rerum natura, constituitur existens objectivè in intellectu. Sed

**Instabis** ad minus si quis haberet hoc iudicium dissensus, Hircocervus non est objectivè in intellectu meo, destruentur tam esse phyficum, quam objectivum: ergo non per quemvis actum intellectus & iudicium dissensus fieri potest ens rationis. Sed *q.* etiam per allegatum actum ens rationis fieri, quia ille actus esset intrinsece falsus, sicut falsus esset, si dicerem, Ego non apprehendo Petrum, cum hoc dicendo eum apprehenderem.

**Urgebis**, Hircocervus non existens est in rerum natura, ergo qui apprehendit chymæram, ut non existentem non facit ens rationis. Respondeo tamen, Chymæram duo dicere; nimirum negationem chymære, & ipsam chymæram, negatio ergo est à parte rei, non verò chymæra de qua fit negatio, quia illa solum est in intellectu objectivè.

**Probatur 2. p. Conclusio** discursu, Quia potest intellectus pravos efficere discursus, unum ex alio deducendo, quod tamen nullo modo sequitur, nec sequi potest, verbi gratiâ potest hunc discursum formare, *Homo est brutum, brutum est Deus, ergo Deus est homo*, ex quo Syllogismo nec sequitur, nec sequi potest conclusio data, ergo. Notandum autem conclusionem quoad probatas partes, imò & alias etiam intelligendam esse distributivè, ita ut sensus sit, alia entia rationis fieri posse per apprehensionem, alia per iudicium, & alia deniq; per discursum.

**Probatur Conclusio etiam** quoad reliquos actus, nam primò facere potest ens rationis per actum absolutum, quia potest rem concipere sine comparatione ad aliam, quæ tamen nec est, nec esse potest, potest enim intellectus concipere chymæram absq; eo quod eam compareret ad aliam rem, ergo. Item per actum comparativum, Quia omnis relatio fit per actum conferentem, seu ordinantem unum ad aliud, sed potest intellectus relationes tales fingere, quæ nec sunt, nec esse possunt ergo. Similiter quod ens rationis fiat per actum directum, patet quia multa facit intellectus in esse objectivo, quæ nec sunt, nec esse possunt, non reflectendo se super illud verbi gratiâ formando chymæram non recordando an facta sit, vel cognita per aliam cognitionem.

**Dices;** Actus intellectus quo fit ens rationis semper supponit alium actum intellectus, ergo omne ens rationis fit per actum reflexum, probatur ant. ut enim paries cognoscatur visus, supponitur cognitio alicujus visionis terminatæ ad ipsum, ut fiat hircocervus supponitur cognitio hirci & cervi, ergo. *q.* distinguendo ant. Actus quo fit ens rationis præsupponit semper alium actum intellectus, ita ut semper se super illum actum quem præsupponit

reflectat nego ant. ita præsupponit ut habitæ cognitione hirci, & cervi fingat hircocervum, absq; hoc quod se reflectat concedo ant. licet enim ad hoc ut ego verbi gratiâ fingam hircocervum debeam præcognoscere quid sit hircus & quid cervus, dum actu tamen fingi necesse non est, ut me reflectam super hircam & cervum prout ipsa patet experientia.

**Probatur deniq; Conclusio de actu reflexo**, Quia multa sunt entia rationis quæ necessariò petunt ut alia præcognoscantur, ut est inter relationes rationem, & in probabilis sententia quando de secundis intentionibus fabricantur, nam in probabilis sententia intentiones secundæ sunt entia rationis.

**Dices;** Ens rationis nunquam potest fieri per actum reflexum, quia hic præsupponit ens rationis jam factum per priorem cognitionem directam, sicut per hoc quod me reflectam super meam cognitionem non produco de novo cognitionem, sed cognosco jam factam per aliam, nempe directam. *q.* duplicem esse notitiam reflexam unam merè speculativam, alteram verò practicam & factivam. Reflexio speculativa est quando jam rem factam per reflexionem considero & contemplor, verbi gratiâ feci chymæram etiam reflecto me super illam factam, eamq; considero & contemplor, & per hanc reflexionem quæ merè speculativa est nihil producit. Secundo est reflexio factiva, per quam fit ens rationis, verbi gratiâ cognosco parietem, dum autem cognosco parietem, ex qua cognitione resultat denominatio extrinseca, quæ non est ens rationis nisi materialitèr & fundamentalitèr, quatenus videlicet mihi occasionem præbet ens rationis faciendi, si ergo volo ens rationis facere ex illa denominatione, tunc me reflectere debeo super parietem à me cognitum, & per illam reflexionem ponere cognitionem, vel aliam formam in pariete tanquam ipsi intrinsicè inhaerentem, & tunc fit ens rationis, nam cognitio illa quam fingo parieti inhaerere, non inhaeret, & per talem reflexionem fit ens rationis. Unde in forma distinguo ant. per actum reflexum non fit ens rationis speculativum concedo, factivum, seu practicum nego ant. & conseq. Mihi videtur quod ad hanc replicam etiam bene responderi possit per ea quæ dicta sunt contra voluntatis fabricationem; quæ etiam præsupponit jam factum ab intellectu.

**Quæres** An intellectus angelicus possit facere ens rationis? *q.* affirmativè nam angeli multa concipere possunt quæ nec sunt, nec esse possunt, imò Luciferi solemnissimum fecit ens rationis, dum dixit, *similis ero Altissimo*, nam nec similis Altissimo fuit, nec esse potuit, siquidem Deus super omnia benedictus, sicut nec dare vult gloriam suam alteri, ita etiam nec dare potest; quia alium Deum facere non potest.

## QUÆSTIO VI.

*De Causa Increata Entis Rationis?*

**Circa** hanc quæstionem duo examinanda occurrunt, primum est, an videlicet intellectus divinus cognoscat entia rationis à nobis facta, aut licet impossibilis foret omnis intellectus

I.  
Duo exami-  
nantur in  
hac quæstio-  
ne.

intellectus humanus ea adhuc independentis ab eo cognosceret: secundò an possit entia rationis facere? utrumq; est inter Authores controversum, nam aliqui non modo negant Deum entia rationis facere posse, quod putant magnæ imperfectionis esse, verum etiam tenent Deum neq; quidem ea cognoscere, ita Vasquez tom. 2. d. 118. cap. 4. Ruuius, Merinerius & plures Recentiores quæ sententia Arriagæ disp. 6. Met. sect. 5. Mira videtur & non sine causa, cum videatur expressè contra Scripturam pugnare, mirum tamen est quòd Arriagæ ingenium à censuris hic abstinere potuerit, causam existimo esse suæ modestiæ, quia locus fuit. Alii eò contra Nedium dum entia rationis cognoscere fatuunt, verum etiam asserunt Deum entia rationis facere posse, absq; ulla imperfectionis nota; ita sentire videtur D. Thomas, Oviado, Arriagæ & multi Scotistæ, Mastrius & Bellatus putant mentem Scoti non esse adeò expressam, ideò problematici sunt in hac materia. Alii verò Deum entia rationis cognoscere quidem posse, non tamen ea facere & hac viâ mediâ incedere suarem testatur Comptonius, quem ipse sequitur, quamvis viderim eum alibi citatum veluti sui socii Vasquez sententiam sequentem. quiddid tamen sit de hac re, ad resolvendam quæstionem progredior &

Vasquez, scilicet, cognitionem illam dicere solum ad illa extrema realia, non verò ad unionem fictam inter ea, atq; ideò cognoscere solum intellectum divinum extrema illa realia, non verò ens rationis; Hæc inquam responsio non valet, Quia si Deus cognoscit tantum illa extrema realia, & non unionem fictam, ergò non cognoscit omnes hominum cogitationes, quod est falsum, & hæresi sat propinquum: ant. probatur: illa unio quam Deus non cognoscit, homo cognoscit, ergò Deus non cognoscit omnia, quæ homo cognoscit & consequenter nec omnium hominum cogitationes. Confirmatur Conclusio, quia si Deus non cognosceret entia rationis, sequeretur quòd non cognoscat omnem propositionem veram, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia propositio non potest cognosci esse vera, nisi cognoscatur esse conformis suo objecto, sed si Deus non cognosceret ens rationis non cognosceret objectum alicujus propositionis veræ, nimirum hujus: chymæra est ficta, chymæra est intellecta, quia objectum hujus propositionis est chymæra seu ens rationis ergò.

**Arguitur** Si Deus cognoscit entia rationis à nobis facta, vel cognoscit, idem numero ens rationis per nostras fictiones fabricatum, vel aliud simile quod ipse fabricat, neutrum potest dici ergò: non primum quia illa entia rationis ita dependent ab intellectu nostro, ut à quovis alio intellectu dependere nequeant; nec secundum, quia Deus ens rationis fabricare nequit. R. concedendo primam partem majoris, & dum dicitur ens rationis ita dependere ab intellectu nostro ut non possit dependere ab alio distinguo; non potest dependere ab alio in esse & conservari concedo, in cognoscit, nego: unde Deus bene entia rationis cognoscere potest.

**Instatur** Si Deus cognosceret nostra figmenta, jam illa cognosceret ad modum entis, quia sic continentur in nostra fictione, ergò efficit ens rationis: quia hoc est cognoscere non ens admodum entis veri, aut ficti. R. Deum illa cognoscere formaliter & sicuti sunt, quia videt esse figmenta & ens rationis, & mediatè solummodò attingit illa per modum entis veri, aut ficti, quatenus videt sic esse objecta nostrorum actuum.

**Urgetur** Voluntas facit ens rationis secundum nos, etiam si jam præsupponatur esse ab intellectu factum in quod feratur, ergò si intellectus divinus cognoscit entia rationis etiam ut à nobis facta, faciet ens rationis: probatur consequentia: sed eò voluntas de novo facit ens rationis licet jam antea factum, quia est nova causa dans ipsi esse novum objectivum, sed quando intellectus divinus cognoscit entia rationis est nova integra causa dans novum esse objectivum, ergò cognoscendo entia rationis, faciet ea, R. negando consequentiam, ad cujus probationis ma. R. dist. eam, Ideò voluntas &c. quia habenti rationis novum esse objectivum intrinsecum, concedo ma. extrinsecum nego ma. & distingo similiter minorem, Intellectus divinus dat illis novum esse extrinsecum & denominativum, quale est illud quod

**DICO I.** Intellectus divinus cognoscit entia rationis à nobis facta. Hæc est communior contra Vasquez &c. Probatur I. Ex scriptura Sapientie 8. Sic veritas sermonum & dissolutiones argumentorum, & monstra scit, (entia rationis revera quedam monstra sunt) antequam fiant. Probatur Conclusio secundò autoritate nostrorum Doctorum D. Augustini. lib. 15. Trinit. cap. 13. Non enim sunt illa que nesciat, In exposit. Pl. 93. Oculos Dei nemo vitare potest, quia non solum in cubiculo videt, sed etiam intima cordis tui. & in Pl. 134. Latet cor bonum, latet cor malum, inquit, abyssus est & in corde bono & in corde malo, sed hæc nuda sunt Deo quem nihil latet. Deniq; lib. 10. Confess. cap. 2. dicit: Et tibi quidem Domine cum oculus nuda est abyssus humane conscientie, quid occultum esset in me etiam si nollem consistere tibi. D. Bernardi tract. de moribus & officio Episcopi. & Praeal. declaratans quomodo omnia nuda sint oculi divinae essentiae ait, Cujus utiq; scientiam non effuger, sententiam non subterfugit etiam quod propriam latet conscientiam. Et infra merito scit Dominus cogitationes hominum quoniam vanæ sunt, cur enim nesciret quas audit & videt, sed inter vanas cogitationes, quæ magis recenseri possunt quam ille fictitiæ: ergò Deus entia illa fictitia cognoscit. Et Scoti qui ex pluribus locis pro hac sententia citatur ut in 1. d. 30. q. 2. §. Respondeo igitur & d. 35. q. unica §. potest dici ad quæstionem & d. 36. & in q. d. 16. q. 2. Probatur Conclusio tertio Ratione, si Deus non cognosceret omnia entia rationis à nobis facta sequeretur Deum non scire omnes hominum cogitationes, sed Deus scit omnium hominum cogitationes ut patet, tum ex scriptura, tum Patribus citatis, ergò etiam entia rationis. Probatur sequela ma. Cogitationes nostræ frequenter impossibiles sunt & chymicæ, ut cum affirmamus equum esse rationalem, hominem esse brutum &c. Nec valet responsio

III.

convenit etiam entibus realibus concedo min. Intellectus divinus dat illis novum esse objectivum intrinsecum & formale, quod solum constituit ens rationis, nego minorem & consequentiam. Itaque licet esse objectivum extrinsecum dependeat à solo intellectu divino, non tamen propterea dici debet entia rationis facere, sed tantum facta ab eo cognosci; hinc est quod

## IV.

Deus ex eo quod cognoscit entia rationis non facit ea.

**DICO 2.** Per hoc quod Deus cognoscit entia rationis à nobis facta, Ex vi istius cognitionis non facit entia rationis. Hæc conclusio sufficienter colligi potest ex solutionibus præteritæ Argutionis. Verumtamen ut res adhuc clarior evadat. Nota quod ens rationis possit dupliciter considerari, primò ut habet rationem effectus, secundò ut habet rationem objecti, tunc dicitur ens rationis habere rationem effectus quando à potentia comparare potente per fictionem esse sumit, verbi gratià, quando ego actu fingo chymeram; tunc autem habet rationem objecti, quando intellectus meus, vel alius cognoscit & considerat chymeram factam, & per hanc cognitionem non efficitur ens rationis: hoc prænotato. Probatur Conclusio 1. Per hoc quod Deus cognoscit entia rationis non fingit ea, sed solummodo ab intellectu nostro facta cognoscit, ergò quandoquidem ex vi cognitionis illius non fingit, ex vi illius cognitionis non facit ens rationis. Nec refert quod ita cognoscendo det illis esse objectivum, nam non quodlibet esse objectivum est ens rationis, alioquin omnes creature entia rationis essent, & omnia quæ intellectus noster intelligere potest, sed tantum esse objectivum factum, quod nec est, nec esse potest. Probatur Conclusio 2. Ens rationis non potest esse extra potentiam formantem illud, imò neq; extra illum actum quo dicitur formari, quia totum suum esse debet habere in illo & ex vi illius, sed quando Deus cognoscit entia rationis à nobis facta non solum attingit illa ut extra suum actum, sed etiam extra suum intellectum, ergò ex vi illius cognitionis non facit.

## V.

Deus independentè ab intellectu humano cognoscit entia rationis, & illa cognoscet etiam si nullus esset intellectus creatus, vel possibilis. Probatur Deus independentè ab intellectu cognoscit hircocervi repugnantiam, seu negationem hircocervi, sed non potest cognoscere negationem quin cognoscit illud cuius est negatio, ergò etiam si nullus esset intellectus possibilis, Deus cognoscens negationem hircocervi necessariò cognosceret hircocervum: ma. negari non potest, nam esset in Deo imperfectio: minor probatur hæc negatio hircocervi habet esse remotionem, & non esse hircocervi potius quàm Leonis, ergò Deus cognoscens hanc negationem cognoscit esse remotionem & non esse hircocervi, quod non habet respectu Leonis: ergò eò ipsò quò cognoscit hanc negationem cognoscere debet hircocervum. Probatur 2. De ratione perfectionis intellectus divini est cognoscere omnem veritatem, seu habere omnem actum verum, sed actus quò Deus dicat hircocervus repugnat, est actus verus, ergò ad perfectionem ipsius spectat hunc

habere, ergò hunc habendo cognoscit hircocervum per actum dissensus, quod intendo quia dici nequit Deum cognoscere per alienum objectum non existens, & simpliciter repugnans.

**DICO 4.** Si talis cognitio sufficit Deum potest facere ens rationis, maximè id verum erit de actu dissensus. Ita Oviedo & Pontius, Maltrius quidem & Ballutus rationes Oviedo impugnant, sed non solvant. Probatur Conclusio quoad primam partem. Deus cognoscit ens rationis directè; ergò si ista cognitio sufficit Deus ens rationis facit, ant. patet, probatur consequentia, quia sicut tunc ex tali cognitione nulla oritur imperfectio, ita nec sequatur aliqua imperfectio in fabricatione entis rationis ergò: probatur sequela, quia cognoscere rem sicut est cognoscibilis in se imperfectio non est, sed ens rationis est tantum cognoscibile in se, ut per ordinem ad aliud ens intelligatur ergò. Secunda pars Conclusionis sequitur tum ex prioris conclusionis probationibus, uti etiam ex præterita quæstione.

**Arguitur.** Deus non potest cognoscere objectum aliter quàm est, ergò non potest facere ens rationis: probatur ant. Quia non posset concipere chymeras nisi conciperet partes incomponibiles, sed concipiendo partes in componibiles conciperet & cognosceret rem aliter quàm est, ergò. R. diff. ant. Non potest cognoscere objectum aliter ac est ex parte actus, hoc est per actum, quò dicitur existere, quod non existit, seu non existere, quod existit concedo ant. Non cognovit rem aliter ac est ex parte objecti, id est non cognoscit formalitatem quæ non est, per dissensum nego ant. cuius probationem ma. etiam distinguo, nisi conciperet partes incomponibiles realiter, concedo, intellectualitè nego ma. & distinctè sic minori nego consequentiam.

**Instatur** Tunc concipitur res aliter quàm est tam ex parte actus, quàm ex parte objecti quando aliquid fingitur esse quod nec est, nec esse potest, sed si Deus conciperet rem aliter quàm est ex parte objecti, tunc fingeret, ergò conciperet rem aliter quàm est; R. transendo majorem, distinguendo mi. si ita conciperet illud impossibile, ut illud affirmaret esse, fingeret concedo mi. si ita concipit illud impossibile, ut illud neget esse, fingit; nego mi. Itaque tunc non ponit figmentum, sed Physicè destruit illud, quamvis objectivè maneat adhuc in intellectu.

**Urgetur** Si manet adhuc in intellectu, non evitatur adhuc quomodo non fingat, ergò nulla solutio, probatur ant. Quia tunc manet aliquid in intellectu quod nec est, nec esse potest, sed quod est tale est quid factum, ergò non evitatur adhuc factio. R. 1. Quod sicuti non fingit licet in illo intellectu divino sint cognitiones nostrorum figmentorum, ita nec hic fingit licet in eo essent illa quæ esse posse negantur, nam sicut non errat errores nostros & peccata reprobando recto suo & iusto iudicio, ita non fingit reprobando figmenta & chymeras à nobis factibiles, hinc in forma R. 2. negando ant.

ant. cuius probationem distinguo, sed quod est tale est quid fictum, si asseratur & concipiatur tale per asseritionem concedo mi. per negationem nego mi. & consequentiam.

VIII.

**Solet hic A** nonnullis fuisse examinari multiplicitas entis rationis & divisio, nam aliqui dividunt in negationem & privationem, alii in relationem, alii fundatum in re, & aliud non fundatum in re, quod idem est dicere ac esse ens rationis materialiter, vel formaliter; attamen cum non tantum imò nullam quodammodo reperto in hac re utilitatem, & cum rationis sit ad placitum rationis videtur certe posse multiplicari divisio, ideo puto congruè dividi in tot classes, quot dividitur ens reale, nam cum analogicè participet rationem entis, eadem ratione poterit participare prädicamenta entis realis, cum intellectus prohiberi non possit, cur non ad similitudinem realium prädicamentorum, prädicamenta, rationis constringat.

**QUAESTIO VII.**

*De Primis & Secundis Intentionibus, & an sint ens Rationis?*

I.

**Non sumo** hic intentionem prout à

Theologis sumitur juxta vulgatum scilicet, *Quidquid agunt homines intentio iudicat omnes*, sed sumo potententia potentiae in objectum, unde species intelligibiles quibus intellectus, & sensibiles quibus sensus excitantur & adjuvantur ad percipiendum objectum vocantur species intentionales, & productio talium specierum vocatur actio intentionalis, attamen magis specialiter adhuc hic ago de tendentia intellectus, Circa quam materiam multae, diversaeque sunt & fuere sententiae nonnulli etiam copiosissime eam pertractant, & alii vix obiter perstringunt, quare medio tutissimus ibo, aliquid dicendo de iis quod utile necessariumque videri poterit, & superfluum tractationem omitto, Itaque;

II.

**Intentio duplex** est: alia formalis, alia objectiva; formalis est ipse actus intellectus quo tendit in suum objectum; objectiva verò est ipsum objectum in quod tenditur. Utraque subdividitur in primam & secundam; Intentio prima formalis est actus intellectus cognoscens aliqua prädicata convenire rei independentè ab intellectu: secunda verò formalis dicitur actus quo cognoscuntur aliqua prädicata rei convenire dependentè ab intellectu. Intentio objectiva prima, sunt illa prädicata rei inde-

pendentè ab intellectu convenientia; objectiva verò secunda sunt prädicata rei ipsi dependentè ab intellectu convenientia, Primi generis sunt *homo* verbi gratia *lapis* &c. actus verò in illa objecta tendentes dicuntur intentiones primae formales; secundi generis verò sunt *esse genus*, *esse speciem*, &c. & actus illa prädicata cognoscentes dicuntur intentiones formales secundae. Hinc collige rem primò intentionalitèr sumptam esse illam prout dicit prädicata intrinseca independentè ab intellectu: secundo verò intentionalitèr sumptam esse prout dicit prädicata dependentè ab operatione intellectus. Hoc soluto ad secundam partem quaestionis.

**DICO** Nec prima, nec secunda intentio formalis aut objectiva dicit ens rationis formalitèr.

III.

Ita Pontius & sat frequens in Scholis contra communioem, quam Baro melius oppugnare non potest, quàm si non essent entia rationis, deberent esse denominationes extrinsecae, sed tales nullae dantur, ergò sunt entia rationis: verum hæc ratio in sententia mea nihil negat, quia contra eum denominationes extrinsecas propugno: De primis difficultas non est, unde Probatur conclusio de secundis; Quia si ulla intentio secunda esset ens rationis formalitèr maxime *genus*, *species*, *prädicatum*, *subjectum* &c. sed hæc non sunt, ergò nulla; probatur mi. quia esse prädicatum nihil aliud formalitèr dicit, nisi actum intellectus enuntiantem rem illam, quæ dicitur prädicatum; similiter genus nihil aliud dicit formalitèr, nisi aliquem actum intellectus extrinsecè denominantem rem illam quæ genus dicitur, & universalitèr secunda intentio non est aliud formalitèr, quàm actus intellectus peculiari aliquâ respicientiâ rem denominans, sed hæc omnia habentur à parte rei, sicut & aliae denominationes, ergò

*Nulla intentio est ens rationis.*

IV.

**DICES** Non potest intelligi aliquid esse comparatum alteri nisi intelligatur aliquis ordo inter comparata, sed talis ordo est ens rationis, ergò in rebus sic comparatis per actum intellectus sequitur ens rationis, & consequentèr secundae intentiones sunt ens rationis. R. aut nullum ordinem sequi, aut si sequitur esse relationem realem actnalem, vel aptitudinalem, quod hoc argumento probari potest; Actus simplex potest dare denominationem apprehensi absq; ullo respectu rationis, ergò etiam comparativus denominationem comparati absq; ullo tali respectu.

**Hæc de Ente Rationis ad Entium Entis DEI gloriam.**



PARS